QVÆSTIONV PVBLICE TRACTATARV

COLLECTIO

Quae ex Iuris scientia depromptas

Io: Iacobus Nouarinus Cotoniensis

Phil. & Sacrę Theologię Doctor

In Nobilissima Pisarum Academia

publicè defendendas proponit

Anno Dni CIƆ IƆ CXX.

Sebast. Sotthus excu. Senis

SERENISSIMO PRINCIPI
D. FERDINANDO GONZAGAE
MANTVAE AC MONTISFERRATI DVCI.

Io. Iacobus Nouarinus F.

QVI ancipitem certaminis aleam, & vere metuendum cum hostibus congressum proprio fortasse periculo commonstrauit, ille non tàm ludicris poetarum fabulis locũ aperuit, quàm ad reconditiorem sapientiam aliquid contulisse visus est, vt vix in veterum monumentis reperiatur vllus siue monstrorum edomitor, siue hostium debellator, qui non mortalibus, aut humana industria elaboratis armis, sed cœlestibus, ac plane diuinis pugnare consueuerit. Neminem oppido latet fulmen illud Asiæ, & Grçciæ totius robur Achilles, quoties ijs armis instructus, quæ à Thetide acceperat, Troianorum omnium impetũ fortiter sustinuerit, quoties miserandis cædibus Græcorum copijs obsessam vrbem funestauerit. Quid præterea Virgilianum AEneam commemorem, qui non prius Laurentum castra, Turniq; audaciam compescuit, quàm fatalibus armis à Venere donatus esset? Quid Perseum illum, qui Mercurij gladio, galea Orci, & Palladis clypeo præmunitus triformes Gorgonas feliciter interemit? Horum vero felicitati ne inuideam incredibili tua benignitate SERENISSIME DVX perfectum agnoui, vt primum in literaria palæstra cum triformi, fallaciq; monstro

dimicaturus inuiolabilem mihi clypeum delegi Serenissimæ tuæ familiæ stemmate communitum. Nec sane par fuit aliunde mihi clypeum promptum esse, vel alio emblemate cælatum, quàm inclytis illius insignibus, quem vt studiorum meorum Auspicem, ac Strategum nactus sum, ita meorum ad virtutem, ac sapientiam conatuum fautorem sperare cur nō verear tùm eximiæ sapientiæ iuncta singularis humanitas facit, tùm propensa illa benignitas, qua sui obsequentissimos, præsertim vero Cęsarem Nouarinum fratrem meum patruelem complectitur, vltro pollicetur. Eapropter nihil esse video cur hasce legum theses à me ad disputandum quasi scholastici certaminis tabellas expositas enixius tibi commendare studeam, cum non dubia spes subeat fore, vt apud Principem humanissimum, & vt omnium bonarū artium, ita & Iuris scientissimum ipsa se satis Iurisprudentia, & me quoq; sibi addictum, tibi vero proprio voto iam diu mancipatum, diutissimè commendet. Vale Pisis Kalend. Iunij 1620.

Ioannis

Ioannis Iacobi Nouarini
AD
SERENISSIMVM PRINCIPEM
D. FERDINANDVM GONZAGAM
MANTVAE
AC MONTISFERRATI DVCEM,
Libelli dedicatio.

FERDINANDVS GONSAGA
DVX MANTVAE.

Anagramma:

EX VNA MVSA FRVGES DANT DIGNA DONA.

Anxia in aspectu generosi Principis haret,
Et pauet augustos pagina adire lares;
Ludicra sunt fateor, sunt hæc iuuenilia; verum
Ingenui æternum pignus amoris habent,
Hoc FERNANDE tibi voueo, ne despice munus;
Magnifica est inter munera verus amor:
Sic MVSA EX VNA FRVGES (quis credat?) inanes
DANT DIGNA interdum Principe DONA viro.

Eiusdem

Eiuſdem ad Perilluſtrem, atq; Excellentiſs. D. FRANCISCVM ACCARISIVM Senenſem in Gymnaſio Piſano Iuris Ciuilis Interpretem Primarium Clariſſimum, Præceptoremq; amantiſſimum.

FRANCISCVS ACCARISIVS.

Anagramma.

SIC CARIS FACINVS CVRAS.

QVis FRANCISCE breui tentet perſtringere verſu,
Queis cumulor, dextræ munera grata tuæ?
Territat hinc pondus, numerus deterritat illinc,
Dum noua iunguntur munera muneribus:
En monitis excita tuis mens dogmata Iuris
Promit, nec nimium te duce pondus erit;
SIC CARIS FACINVS CVRAS insigne: Quid ergo?
Quod mens concepit, nunc parit, omne tuum eſt.

Eiuſdem

Eiusdem ad Perillustrem, atq; Excellentiss.
D. CAMILLVM ACCARISIVM
FRANCISCI F. in eodem Gymnasio Iuris Ciuilis Professorem.

CAMILLVS ACCARISIVS.

Anagramma.

ACCLAMARIS VIS LVCIS.

Aliud.

SIC CLAVIS ARCA SIMVL.

CAEsarei sacro clauduntur cortice Iuris
Quas peperit magni Roma valoris opes;
Sunt qui illum resecare parant, has promere tentant,
At tu præstare es munus vtrumq; potis.
Nimirum Iuris secreta lararia pandis,
Et das gemmarum quicquid Erythra tulit.
Munere sic gemino faustè tu fungeris vnus,
SIC meritò CLAVIS diceris ARCA SIMVL.

AD IO. IACOBVM NOVARINVM Philoſophiæ, ac Theologiæ Doctorem de Iuriſprudentia publicè diſputantem.

Epigramma.

IAm geminæ lauri gemino tibi cincta decore
Nexa triumphali fulget honore coma:
Sed noua per celebres dum quæris ſerta triumphos,
Dum noua per famæ culmina carpis iter.
Nulla corona ſatis tibi frontem ornare valebit,
(Quamquam hæc vna ſatis, quod tibi nulla ſatis.)
Eſt oneri potius triplici diademate laurus.
Et magis illa capit, quàm decus illa ferat.
Quid decus ergo tibi, ſi dant tua tempora lauro?
FERNANDI ex auro ſola corona dabit.

Nicolai Adiunctij Burgenſis.

AD EVMDEM.

MAximus es Diuûm ſcrutator, Maximus idem
Interpres legum, Maximus atq; Sophos.
Quid pudor ora notat? cum ſis ter maximus, ergo
Non ego te pariter Mercuriumq; vocem?

Eiuſdem

Ad

AD EVMDEM.

Non ſat erat Sophiæ dulces hauſiſſe liquores,
Inuiaq; impauidum ferre per arua pedem,
Non ſat erat cæci poſita caligine ſenſus
Arcana æterni noſcere poſſe Dei.
Abdita felici gemini penetralia Iuris
Auſu (quod deerat) mens operoſa ſubit.
Hactenus, agnoſco, paſſus NOVARINE labores
Es tibi, nunc alijs inuigilare cupis.

Ioannis Accariſij Patritij Senenſis.

Eiusdem Ad Eumdem.

NOVARINVS.

Anagramma:

NON VARIVS.

Palladis eximias, Iuuenis, dum amplecteris artes
Præferris claro à stipite NON VARIVS.

Aliud Eiusdem.

IOANNES IACOBVS NOVARINVS.

NOVA CANO. EN NOBIS IVRIS VAS.

Ad Eumdem.

Epigramma.

Alluditur ad Gentilitium illius stemma.

Sydera nil mirum gentili in stemmate trina
Si geris, antiquæ gloria summa domus,
Non poterat tellus trinum tibi texere sertum,
Hinc cælum proprias addere gestit opes.

Eiusdem.

AD

AD EVMDEM.

Q*Vot NOVARINE theses hûc sedula dextra coegit,*
Tot tibi præcones laudis adesse puta,
Pagina (quis credat ?) celeres mutatur in alas,
Queis tua sydereum fama metitur iter:
En iam præpetibus raptaris ad æthera pennis,
Sydera sublimi vertice iamq; feris;
Gloria te sequitúr, quę quamuis proxima cælo
Fulgeat, inferior sit tamen illa tibi.

Cæsaris Græci Cotonicensis.

IOANNES. IACOBVS NOVARINVS.

Anagramma.

NON A IANVA ONVS SVBIRE SCIO?

EN aeuum trinum natura redegit in istum,
Sunt cuia os iuuenis, mens senis, acta viri;
En Pallas iuuenem Sophia decorauit, adultum
Iure, senem trini cognitione Dei:
His tamen auspiciis nomen prorumpit in ista
NON A IANVA ONVS verba SVBIRE SCIO?
Ne tibi sit mirum, nam pagina sacra fatetur,
Qui petit ima, salit; qui salit, ima petit.

Bassiani Draconi Cotoniensis.

NOVARINVS.

Aliud.

IN VRNA SVO.

OCeanum claudit Iuris Nouarinus IN VRNA
Marte SVO, hinc sapidas gutture fundit aquas.

Eiusdem

DE

De Eodem Ioanne Iacobo Nouarino.

Dogmata dum Iuris NOVARINVS multa tuetur;
Et iuuenes docta in Palladis arma vocat;
Obscurat (nec vana loquor) præconia laudis,
Proicule siue tuæ, siue Sabine tua:
An pereare? parum est multas moliriet arces,
Seruare obsessas hoc opus, hicq; labor.

Venturæ Pelliccioli Bergomensis.

DE EODEM.

Qualis in Idæi nemoroso vertice montis
Tollit odoratas pinus ad astra comas;
Vulnifica si forte sonet perculsa securi,
Gratior illato è vulnere crescit odor:
Talia sunt, fateor, NOVARINI dicta, quis illis
Obstrepat? & docto vulnera Marte paret?
Spargetur virtutis odor per vulnera, sicq;
Vulnera proficient, quæ nocitura putas.

Ioannis Trusſij Moraui Brunensis.

DE EODEM.

Has Astraa theses vt primum vidit Olympo,
Gestijt, & tales protulit ore sonos.
Desine me querulis amissam vocibus orbis
Plorare, & lacrimis siste rigare genas;
Nam quamuis terris olim fugitiua relictis
Tentarim notas sydera ad alta vias,
Ecce tibi Iuris cultor nouus, ecce Sacerdos
Iustitia, hunc adeas, doctaq; dicta colas.

Io. Baptistæ Scarincij Casalmaiorensis.

AD EVMDEM.

Ad prima quondam memorant libamina lucis
Memnonis auditos signa dedisse sonos,
Sic dum prima nouo tua gloria lactet ab igne
Effundit tales nostra Camœna sonos;
Nascere, purpureosq; polo diffunde nitores,
Et cœli medium lucida flamma tene,
Atq; vtinam veluti, Iuuenis, tua gloria crescet,
Cresceret in laudes vena benigna tuas.

Iosephi Bissij Casalmaiorensis,

LECTORI S.

Io. Iacobus Nouarinus.

CAndide, & amice Lector, Deuora, amabo, non longam morulam intra hos veluti carceres libelli, ne postea maiore tui incommodo, ac temporis dispendio in medio stadio, an studio? identidem subsistere cogaris. Potes libens, ac volens hanc à me inire gratiam, quæ in tui gratiam, & commodum redundat. Fænerabit nimirum tibi diecula hæc, quia celerius, expeditius, commodius reliqua cursoria spatia emetieris. Duo igitur te monere, vel si mauis, duo amouere habeo remorantia, & offendentia te alacriter, ac strenuè properantem. Alterum ad Iurisprudentiæ dignitatem facit, alterum ad me ipsum, vtrumq; ad aperienda animi mei sensa. Iam .n. plus nimio apparet, rationẽ istam promulgandarum Iuris thesium frequenti sui copia eam satietatem, ne dicam nauseam Iuris etiam amatoribus attulisse, vt hoc præsertim nomine ægrè, atq; inuita se spectandam præbeat Iurisprudentia, quasi tædeat persæpè illustri sapientum coronę sui theatrum dare, qui non eam forensi strepitu, nouoq; (pro eo ac decet) acclamationis, plaususq; genere, sed familiaribus officijs, imo inofficiosa familiaritate excipere consueuerunt. Quod vero ad me spectat, video non paucos fore, qui non inopportunè percontentur, cur in isto cudendarum conclusionum abusu receptum vsum non custodiuerim, & paucula quędam siue Problemata, siue Theoremata cęterorum more non proposuerim. Quod attinet ad primum, satis mereri videor excusationem, vt potè qui coactus egi; coactus verius, quam spontè dixerim, cum .n. è patria hûc concesserim Iuri operam daturus, erat cur maximè studij, ac

laboris

laboris mei qualecumq; specimen exhiberem, eoq; pacto ingenio-li mei prouentum indicarem; qui tamen quicquid est contigit benigno afflatu Claris. D. FRANCISCI ACCARISII quē è Parmensi Gymnasio ad Pisarum supremum subsellium euocatum, meam ego Cynosuram è longinquo intuens, subsecutus sū, eumq; meum quasi lumen, ac numen perpetuo veneror, & obseruo. Quo ad alterum, dicam ingenuè: Usum non retinui, quia Iurisprudentiæ dignitati melius hoc modo consultum esse arbitratus sum, libellum hunc, quantuluscunq; sit, conscribens, quàm vnica pagina contentus illiuscemodi angustijs eius amplitudinē contentam, quinimo contemptam habere; libentius .n. se se illa in hanc lucem proferet, cum intelligat, se non esse hac specie (vt rectè quidam ait) scombris inuolucra, & tunicas daturam, aut in vicum deferendam ..

. . . . vendenti thus, & odores,

Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

quod, herclè, euenit cum vna pagella eiusdem facies monocromatis delineamentis innuitur verius, quàm coloribus exprimitur. Ne tamen idcirco arbitrere, me mihi tantum tribuere, vt libellum hunc ab eadem fortuna integrum seruari posse credam; minimè istud quidem; sed cum quicquid in mentis meæ album, atq; inde in libellum relatum est, ex virorum eruditissimorū ore exceperim, huic vni plusculum confisus, & diutius viuere, & vigere posse existimo in longiorem diem. Hæc habui, quę non prætermitterem. Nunc te, studiose Lector, quantum potes conijce in pedes, ac te expedi ad cursum huius libelli, dico ad cursum, multa .n. currentem pręteribunt, quę incedenti, ac lentius iter carpenti se se offerent in conspectum, & forsitan in despectum. Viue, & Vale.

Ex

Ex interpretatione Rub & l. vt vim 3. ff. de Iust. & Iur.

1 CVM Iustitiæ nomen æquiuocum sit, vt ait Plotinus *lib. 7. de Virtutib.* ad præuiam idcirco eius notitiam plene, ac dilucide intra Iuris terminos assequendam, distinctionem adhibentes bifariam ante omnia necessum est Iustitiam consideremus, tùm quatenus sedem habet in intellectu, secundum scilicet abstractã cognitionem, tùm quatenus in voluntate residet secũdum rationem habitus, & virtutis.

2 Iustitia igitur prima significatione accepta, quam ratione subiecti intellectualem doctrinæ gratia duximus appellandam, illa est, quam Iouis filiam Ethnici fingebant, vt ex Chrisippo docet Gell. *lib. 4 noct. Attic. cap.* 14. quam Iureconsulti colere dicuntur, & cuius merito Sacerdotes ab Vlpiano appellantur *in l. 1. ff. de Iust. & iur.* & hanc idcirco ab illa, quæ ab eodem Vlp. *in l. 10. eod. tit.* definitur, diuersam tanquam abstractum à concreto asserimus.

3 Huiusmodi vero intellectualem Iustitiam, vt nominis definitionem (quæ rei ipsius teste Platone imitatio quædam est, & declaratio) exponamus, non ab eo denominandam duximus, quod vim sistat, vt voluit Alciat. *lib. 1. Parergon cap. 29.* nec ex eo, quia Ius in ea stet, quasi sit Iuris status, vt placuit Isidor. *in cap. forus 10. de verb. signif.* neque quia Ius distribuat, vnde appellationem Iustitiæ deriuatam dixit Iustin. *in Auth. vt omnes obed. Iudic. in princ.* sed à Iusto neutrius generis nomine, vt à malo malitia, & à mæsto mæstitia, à pacto pactio; quæ omnia cum coniugata sint, & qua-

si synonima (vnde est vt à pactiône pactum deriuatū dixerit Vlp. *in l. 1. ff. de pact.*) Iustum, & Iustitiam, de qua loquimur, confundi nemo negabit.

4 Sed altius adhuc repetendum est exordium Iusti ipsius, quod à Iustitia non distingui asseruimus; hoc .n. cognito, Iustitiæ quoq; origo patebit. Et vero Iusti originem non aliunde petendam arbitramur, quam ex aduerbio iuxta, quod idem valet, ac prope, vel secundum, vnica nempe litera X in non dissimilem literam S conuersa: Quapropter Iustum dictū volumus quasi iuxta rationem, nec .n. quod iuxta eam est, iustum esse ambigitur.

5 His positis vel nobis tacentibus facile est animaduertere quam prudenter scripserit Vlp. *in d. l. 1. ff. de iust. & iur.* Ius à Iustitia appellari, cum ius à Iusto diminuta voce dicatur *cap. 2. 1. distinct.* quemadmodum fas dicitur quasi faciendum, & nefas non faciendum. Iam ergo cum Iustum Iustitiæ nomen producat, idemq; cum ea censendum sit, liquido constat Ius appellari à Iustitia.

6 Quamobrem iniuria à DD. omnibus vno ore coarguitur Vlp. in assignanda nominis Iuris deriuatione, quandoquidem Ius à iussu nuncupatum per syllabæ posterioris reiectionem vnanimes opinantur, eleganter sane magis, quam vere.

7 Et licet eodem fere pacto aliqualiter Vlpiani dictum ab omnibus defendatur, defensio tamen est repræhensione deterior. Dum etenim putant vsurpatum ab eo fuisse iuris nomen pro arte Iuris, quæ vere posterior est Iustitia, aliquid statuunt prorsus (si penitius rem scrutemur) à mente I. C. alienum; neq; enim ait ibi deriuatum, hoc est productum quo ad rem, seu substantiam, at solummodo appellatum; de nomine igitur agit, non de re.

8 Sed iam Iustitiam quo ad aliam significationem spectemus, videlicet pro vt in voluntate residet, & doctrinæ gratia voluntatis Iustitia denominatur. Definitur hęc *in l. 10. ff. eod. tit.* Constans, & perpetua voluntas ius

suum

suum cuiq; tribuens. Mirum quam constanter omnes fere opinentur particularem Iustitiam definiri, non vniuersalem. Nos eorum sententia reiecta tuebimur definiri tam particularem, quam generalem, quæ & legalis appellari solet, & est specialis virtus à cæteris moralibus distincta. Quinimo & vindicatiuam Iustitiam in eadem definitione comprehendi contendemus, tum quatenus specialis virtus & ipsa est, tum etiã quatenus ad commutatiuam reducitur.

9 Particularis Iustitia in distributiuam, & commutatiuam tanquam in duas species seiungitur. Differentia autem inter vtramq; vulgo assignari consueuit, eo quia commutatiua æqualitatẽ respiciat arithmeticam, distributiua vero geometricam, quæ est æqualitas proportionum rerum diuidendarum ad dignitatem personarum. Cæterum cum huiusmodi differentiam nõ intrinsecam, pro vt decet, his Iustitiæ speciebus deprehendamus, sed solum accidere; reijciendam esse statuimus.

10 Non enim ex ijs sumus, qui auctoritate I. C. *l. nam ad ea 5. ff. de legib.* innixi, desumendam putant differentiam ex ijs, quæ frequentius contingunt; quare in discrimine afferendo inter deportationem, & relegationẽ hoc vno fere contenti videntur, quod illa perpetua sit, hæc temporalis.

11 Retenta diuisione Iuris ab Vlp. tradita in naturale, gẽtium, & ciuile, à qua inciuile duximus recedere, occurrit quæstio, an propulsatio iniuriæ adscribenda sit iuri gentium, vel naturali, & in rationum non leuium conflictu placet eorum opinio, qui iuri gentium adscribunt.

12 Ne autem quempiam commoueat latens illa ratio, cur propulsatio iniuriæ potius, quam matrimonium tribuatur iuri gentium, eadem nos ratione matrimonium quoq; iuri gentium adscribi posse defendemus.

13 Iure igitur suadente licitum esse dicimus cuiq; pro sui corporis defensione hominem occidere, intercedente tamen, vt ius gentium postulat, moderamine incul-

patæ tutelæ in propulsanda iniuria, quæ idcirco incõtinenti, vt dicitur, fieri debet.

14 Iure diximus licitum esse, hoc est tam ciuili, quam canonico, imo & diuino citra quamlibet etiam pœnam irregularitatis; recte enim à nonnullis scriptum est, aggressorem ab eo interfectum, qui moderamen adhibuit inculpatæ tutelæ, videri à semetipso occisum: amplius id probamus, aduersus charitatem peccare illũ, qui cum possit propriam salutem tueri cum nece aggressoris, tutelam tamen negligit quasi suæ mortis minister.

15 Fatenus tamẽ licita est propulsatio, quatenus vis iniuriam continet.

16 Quare sentimus cum frequentiori DD. Schola, non licere exulibus (quos bannitos vocant) se tueri, ac propulsare vim illatam à quouis priuato, intuitu tamen publici iuris, si forte statuto cautum sit, eos posse licite offendi. Quod si ad tuendum proprium corpus aliquẽ læserint, erit eisdem ex nouo delicto noua pœna irroganda. Secus tamen, si priuato odio quis impulsus illos aggrederetur, nam cum illicita esset offensio, licitum esset exulibus, vt & alijs, vim, iniuriamq; propulsare.

17 Cum frequentiori etiam schola sentimus, circumscripto huiusmodi statuto non posse exules nostri temporis licite offendi quo ad corpus, atq; idcirco posse licite se tueri, cum ea, quę iuris gentium sunt, integra maneant *l. quidam 17. ff. de pœn. & l. 1. C. de hæred. instit.* & ijs tantum priuetur exul, quæ ciuitatem respiciunt, neq;.n. à consortio hominum, sed ciuium expellitur.

18 Sed & quo ad bona offendi posse recte negatum putamus, aut enim post publicationem iam in Fiscum trãslata bona illorum censentur, aut publicatione non subsecuta concessa videtur personis coniunctis *Auth. Cassa C. de Sacros. Eccl. & cap. excõmunicamus 13. §. moneantur de hæretic.*

19 Hoc autem producimus etiam ad vxorem exulis, quæ non potest ob viri delictum præter iniuriam offendi, vel

vel adulterio maculari ex speciali iuris nostri regula; qua exploratum sit, vxorem pro viro non teneri, nec virum pro vxore *l. 1. C. ne vxor pro marit.*

20 Quinimo liceret eo casu vxori pro defensione honoris occidere insidiantem, quamuis statuto quouis permissum esset adulterium cum vxore exulis, constat .n. huiusmodi statutum vt pote iuri tam naturali, quam diuino reluctans, nullius esse roboris.

21 Vtrum moderamen inculpatæ tutelæ iuris gentium, an vero ciuilis sit, non conuenit inter omnes; verius nos arbitramur, iuris gentium esse.

22 Quod spectat ad iudicium. Partes rei de homicidio postulati sunt probare præcedentem aduersarij offensionem, vel saltem probabilem timorem offensionis, vnde satis est, constare, aggressorem obuiam venisse armatum; quod si de insultu, & aggresione non posit probationibus veris liquere, confugiendum erit ad præsumptiones, & coniecturas, si vero nullæ adsint præsumptiones, non ideo dimittendus, vel absoluendus est occisor, vt asserunt non pauci; siquidem factum ipsum occidendi præsumptionem inducit aduersus eum, qui occidit, eumdemq; aggressorem indicat; tutius itaq; censemus, subijciendum esse torturæ occisorē, quo posit ex eius ore aggresio intelligi.

23 Communiori sententia receptum videmus, accusatum, solummodo defensionem probare teneri; nobis tamen contrarium magis probatur, non solum defensionem esse probandam, verum etiam necesitatem defensionis, ea potisimum ratione, quia in moderamine, de quo constare debet, continetur, occisorem non aliter se potuisse defendere, quam occidēdo adorientem: quare nisi huiusmodi necesitatem accusatus probet, à pœna saltem extraordinaria non erit immunis, & ideo non inficiamur, quod si forte excusari velit à dolo, & pœnam ordinariam declinare, satis erit probare defensionem, & aggresionem cum vitæ discrimine.

24 Communiter etiam inualuit opinio, pro defensione

rerum

rerum permitti homicidium. Hanc etiam communem opinionem explodimus, nec aliter permitti contendimus, quam si coniunctum sit periculũ vitæ, ideo præsertim, quia charitatis ordo (vt iuris auctoritates omittantur) perturbaretur, si res nostras vitæ alienæ præferremus.

25 Imo, si quod adsit vitæ periculum, permittitur etiã pro recuperatione, vel defensione rei nõ nostrę, sed à nobis detentę ex deposito, commodato, vel alio id genus titulo.

26 Idem iuris erit, si vel Clericus raptor sit, quo casu occidi potest sine excommunicationis periculo, vel à Clerico quidpiam rapiatur, pari enim ratione & is absq; irregularitate rapientem occidere poterit.

27 Negamus tamen in rebus modici valoris defendendis, & ex interuallo.

28 Quemadmodum autem, vt supra diximus, pro vitæ defensione licitum est occidere aliquem, ita & pro tutela honoris, qui vitæ comparatur *l. iusta 9. in princ. vbi Glos. ff. de manumiss. vindict. l. isti 8. §. quod si ff. quod metus. caus.* licita est iniuriæ propulsatio, seruato tamen, vt in cæteris omnibus inculpatæ tutelæ moderamine.

29 Neq; solum pro defensione propriæ vitæ, bonorum, & honoris licita est iniuriæ propulsatio, sed etiam pro defensione interdum alterius permissum est quempiam occidere, posse .n. patrem interficere aggressorem filij liquido constat, cum magis terreatur pater periculo filij, quam sui ipsius *d. l. isti 8. ff. quod metus caus.* & è cõtra filium aggressorem patris ratione pietatis debitæ; nec distinguendum, an legitimi filij sint, vel naturales tantum.

30 Non ambigimus etiam aggressorem consanguinei impune occidi licere.

31 Eademq; impune occidendi facultas datur marito pro defensione vxoris, sicut vxori pro defensione mariti, quod etiam ad sponsum, & sponsam recte producitur, & quod magis est ad concubinam iure ciuili permissam,

sam, quæ instar vxoris habetur *l. 1. in princ. ff. ad l. Iul. de Adult. & alibi*.

32 Conceditur amplius pro defensione amicorum, & extraneorum etiam nullo præcedente mandato amici, vel extranei auxilio nostro indigentis, licet non nulli per modum consilij dicant, auxilium postulandum; nec est necessum, vt etiam defensor vitæ idem periculum subeat ad hoc, vt pro defensione extranei alterum necet impune.

33 Placet insuper eorum opinio licet frequentius reprobata, qui putant teneri quem alterum defendere etiā de iure ciuili.

34 An qui potest euitare periculum per fugam, possit resistendo aggressorem occidere, si quis à nobis percontetur, non teneri magis arripere fugam, quam resistere, cum Bart. omissa iocosa eius distinctione, generaliter respondebimus; si enim fuga nobis infamiæ notam inurat, cur ab ea abstinere non licebit? *l. filius 15. ff. de condit. instit. l. vlt. §. si iusto, & sequent. ff. quod metus caus.*

35 Atq; hinc est, vt in clericis, quibus dedecori non est fugam arripere, non videatur procedere huiusmodi resolutio, quæ pari ratione in rustico homine locum nō habere opportune dicitur, quoties per fugam omnino euitaretur vitæ discrimen.

36 Quemadmodum nec procedere volumus in ijs, qui tenentur reuerentiam exhibere: his enim congruentius expedit fugæ se committere, quam patrem, vel alium quemlibet, cui honor exhibendus sit, etiam illicite offendentem interimere.

37 Non audemus cum seuera nimis, licet communi DD sententia, asserere, constitutum in manifesto vitæ discrimine, cum illud nequeat aliter euitare, quam occidendo aliquem non aggressorem ad propriam salutem tuendam, posse illum licite interficere; sed libentius contrarium amplectimur, ita potissimum suadente propulsationis natura, quę vim supponit illatam ab eo, aduersus quem fit propulsatio. Iam vero qui non

aggres-

aggressorem necat, non vim vi repellit, sed verius vim vi addit.

38 Non puniendus est tamen, qui præter intentionem aliquem ad sui salutem occiderit, veluti qui vulnerare putans aggressorem, lædit eum, qui rixas sedare intendit; sicut nec ille est puniendus, qui cum aggressorẽ cerneret, ad euitandum ictum delituerit post terga alicuius, ex quo ille interfectus est.

39 Non inopportune hic quæri potest, cur sicut ob necessitatem vitæ defendendæ licitum est contra diuinum præceptum occidere, vel etiam furari *cap. si quis 3. de furt.* non ita liceat adulterium committere. *l. palam 43. §. non est ignoscendum ff. de ritu nuptiar.* Varij varia excogitarunt. Arbitramur nos, rationem diuersitatis recte desumi ex ratione prohibitionis singulorum vitiorum. Adulterium etenim, vel quælibet fornicatio ideo prohibetur, quia pudicitiam, & honestatem lædit, quæ sunt morales virtutes omnino intrinsecę, ideo cum ab vlla extrinseca circumstantia mutari nequeat causa prohibitionis, nec ipsa prohibitio vllo casu cessabit; furtum vero, vel homicidium, cum Iustitiam spectent, quæ ab externis circumstantijs pendet, nil mirum, si quando cessante prohibitionis causa, prohibita non censeantur.

Ex Interpretatione Rub. & l. Imperium 3. ff. de Iurisdict. omn. iud.

40 QVemadmodum in vestibulo duplicẽ Iustitiæ rationem constituimus, ita & nunc de Iurisdictione sermonem habentes, si eam spectemus secundũ rationẽ Iustitiæ intellectuali respondentem ab omni actu, atq; exercitio seiunctam, absolute in habitu præcise; non veremur cum Accurs. & alijs asserere, iurisdictionis, aut, vt congruentius loquar, iurisditionis

nis nomen originem ducere à compositione harum vocum iuris, & ditio, quæ meram potestatem significat, & hoc sensu perperam reprehenduntur DD. ab Alciat. *lib. 2. dispunct. cap. 24.*

41 Si vero intueamur secundum rationem addictam Iustitiæ voluntatis, actum, atq; exercitium implicantem, & relatiue in actu exercito, verissimum putamus, quod Alciat. docet, Iurisdictionem à dictione dictam, cum iuris voce coniuncta, quandoquidem prout est in exercitio, quod euenit, quoties à Principe, vel Magistratu ius dicitur ius suum cuiq; tribuendo, tota eius vis in iuredicundo sita est, & hoc sensu consideratur ab Vlp. *in l. 1. tit. huius.*

42 Explicata quo ad nomen iurisdictionis origine, iam quo ad rem, eamdem perscrutemur. Et quidem, quatenus in Deo Opt. Max. est, à nullo deriuari, nullamq; habuisse originem, seu principium; sed ab æterno vna cum Deo semper fuisse, ea ratione pro comperto habendũ est, qua ipsi Deo æternitatẽ attribuimus, quare independens, & increata dicitur; Verum de hac, vt potè quæ ad Theologos spectat, non est, vt hoc loci differamus, quamuis eam vel tenuissime attigisse opus fuerit, ne prima creatæ iurisdictionis deriuatio, de qua mox agemus, iuxta rectam subordinationis rationem omnino nos lateat.

43 Itaq; creata iuris potestas ab increata illa Dei primo dependens est secundum esse, & conseruari, sicut cætera creata, quę homini ad humanam societatem conseruandam, & propagandam concessa sunt; in Principe, seu in Repub. dominante primum, & immediate reperitur, quatenus Princeps, seu Respub. omnem, quam habet, potestatem, soli rerum omnium opifici acceptam referre cogitur *l. 1. C. de Sum. Trinit. & fid. Cath. l. 1. in princ. C. de veter. iur. enucl.*

44 Hęc autem Principis potestas summum imperium nũcupatur, summa potestas, summa iurisdictio, quia scilicet à tali imperio, & potestate cæteræ deinde omnes cuiuscumq; magistratus dependent, vnde communi-

catæ poteſtates dicuntur, quando ex Principis placito creantur magiſtratus, tanquam adminiſtri poteſtatis illius à Deo acceptæ, quo facilius Iuſtitiæ partes exerceantur, & vnuſquiſq; ius ſuum ſortiatur.

45 Itaq; iuris illa poteſtas in Principe cæteras omnes antecellit, atq; eminenter, & excellentiori quodam modo eas complectitur, ſicut anima rationalis vegetatiuam, & ſenſitiuam ex vera, & magis probata Philoſophorum ſententia.

46 Diuiditur ſumma illa Principis poteſtas in tres ſpecies, videlicet in poteſtatem ſtatutariam, iudiciariam, & gratioſam, & hæ ſingulæ ſpecies alia, atq; alia ratione magiſtratibus à Principe communicantur, nam ſtatutariam quomodo communicet Princeps, ſcribit Gaius *in l. omnes populi 9. ff. de iuſt. & iur.* Gratioſam autem de iure paucis communicauit, ex conſuetudine vero non paucis, vt ſcribunt DD. ad hanc l. 3. Iudiciariam demum ſuis magiſtratibus varie diſtribuit, & de hac concipitur inſcriptio huius tit.

47 De iudiciaria ergo poteſtate, quatenus à Principe in magiſtratus transfertur, agendum nobis eſt, nec dubitandum, quin de hac duntaxat loquatur Vlp. hoc loci, quicquid Bart. cum aſſeclis aſtruxerit in contrariũ.

48 Dari autem huiuſmodi iudiciariam poteſtatem in genere, prout nempe imperium continet, & ſimplicem iuriſdictionem, tanquam proximas ſpecies, cum Bart. & alijs ſentimus *ex l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. & l. 2. §. & quia ff. de orig. iur.*

49 Quæ iuriſdictio ſic accepta non recte ab Accurs. definitur; dum autem imperfectam eius definitionẽ quoquo modo reſarcire vult Bart. non meliorem reddit; deteriorem tamen facit Bald. addendo nomen territorij, cum iuriſdictio cohæreat perſonæ, non territorio, licet officium ius dicentis territorio circumſcribatur *l. vlt. ff. de offic. præfect. vrb.*

50 Nos ita, cæteris definitionibus omiſsis, definiendam putamus. Eſt iurisdicundi publica poteſtas, qua ius ſuum cuiq; tribuatur: In hac enim definitione omnes

iuriſdi-

iurisdictionis definitæ causæ elucescunt. Et vero genus, & differentia, potißsima in definitionibus requisita, statim occurrunt, quamquam Ant. Gouean. *lib. 1. de Iurisd.* absurdũ putet dici potestatẽ iurisdicundi.

51 Princeps huius genericæ iurisdictionis diuisio est in duas species, hoc est imperiũ, & iurisdictionẽ specialiter sumptam, & quicquid sit de nomine imperij, prout in Principe residet, vtrum latius pateat Iurisdictione, nec ne, nos de eo agentes, quod à Principe in magistratus descendit, diciturq; communicatum, differre contendimus imperium à iurisdictione, tanquam speciẽ à genere: Etenim quilibet magistratus imperans puniendo, cogendo, & iubendo ius dicit, dum secundum ius id faciat, sed non è contra omnis ius dicens imperat, vt obuium est.

52 Loquimur autem, vt diximus, de imperio communicato. Quid autem, si quæstio sit de imperio, quod residet in Principe? Dicimus adhuc differre eadem ratione, tanquam speciem à genere.

53 Si autem nominis imperij deriuationẽ desideret quispiam, Grammaticos interpellet, qui statim ab imperando dictum imperium respondebunt à prępositione, in, particula intentiua, & pareo, quasi statim, prorsusq; pareo; exercetur namq; imperium in eos, quibus est parendi necesßitas *l. liber homo 37. ff. ad l. Aquil. l. idonei 6. ff. de testib.*

54 Imperium hoc, quod ratione meri, & mixti genus est, in iure dari nos aperte docet hic Vlp. qui illud in duas species partitur; eius tamen definitio à Bart. allata nobis nullo pacto probatur, cum solum cõpetat imperio, quatenus officio nobili exercetur, non etiam mercennario, quod in proposita accusatione contingit, quæ quoniam lato nomine actionis continetur *l. qui accusare 4. C. de edend. & tradunt DD. ad l. iudex. 55. ff. de re iudic.* negari non potest, quin imperium proposita accusatione officio mercẽnario exerceri à magistratu dicatur, quapropter frustra laborant, qui Bart. definitionem propugnare conantur.

55 Sentimus ergo vulgatam diuisionem officij iudicis in nobile, & mercennarium contra recentiorum calumnias doctrinæ gratia retinendam esse, nec aliud displicere potest, quam quod displicet Iacob. Cuiacio *ad African. tract. 3.* qui gratuito mallet, quam mercede, aut honestiore vocabulo iudicis operam significari.

56 Vnde commodius sic definimus imperium in genere. Est iudiciaria puniendi, cogendi, & iubendi potestas. Maluimus autem loco generis potestatem collocare, quam iurisdictionem ad euitandam ambiguitatem, licet enim proximum sit imperij genus iurisdictio, vox tamen ista effecta est vsu iuris æquiuoca; definitiones autem respuere verba æquiuoca iam diu didicimus. Appellamus potestatem iudiciariam, ad excludẽdam patriam, ac dominicam: cætera deniq; verba manifeste indicant, definitionem tam mixto, quam mero imperio conuenire.

57 Diuisio autem imperij generaliter accepti est ex hac nostra l. in merum, & mixtum. Meri imperij denominationem quærens Bart. ait dictum merum quasi liberũ, & absolutum; scilicet illud considerat in persona Principis legibus soluti *l. Princeps 31. ff. de legib.* Sed decipitur, cum sermo sit cum Vlp. de mero imperio residente penes magistratus, qui tenentur illud exercere iuxta leges *l. 1. ff. ad Turpill. & alijs.* Neq; valet quod quidam dicunt considerandum esse imperiũ in sui origine, pro vt à Principe dimanat; quis enim non videat inde consequi, etiam mixtum imperium, & simplicem iurisdictionem dici meram?

58 Neq; magis probanda est, quam secundò affert denominationis rationem, quia imperium nobili iudicis officio exercetur, nam, vt supra nos indicauimus, exercetur sæpe officio mercennario: prçterquam quod mixtum imperium deberet interdum appellari hac ratione merum, cum officio nobili quãdoq; exerceatur, vt in concedenda restitutione in integrum, & in prætorijs stipulationibus, & alijs permultis.

59 Respuenda quoq; est sententia Zasij, & multo magis ea,

quam sequuntur aliqui ex recentioribus, qui merum dictum putant quasi summum.

60 Placet magis, quod, cum merum dicatur ad differentiã mixti, vt cum dicimus merum ius *l. 3. C. de obsequ. præstand.* merum ius gentium *l. bona fides 31. ff. deposit.* &c. ideo merum dicatur, quia separatur à simplici iurisdictione, & simplex est, seu quia iurisdictioni per se non miscetur, seu quia iurisdictioni non cohæret.

61. Definitio meri imperij, quam affert Bart. eodem fere vitio laborat, quo definitio imperij in genere, ideo eodem pacto repudianda.

62 Et rectius definitur. Iuris dicendi potestas tota in delictorum animaduersione consistens.

63 Cum merum imperium exemplo cunctarum physicarum qualitatum latitudinem admittat in gradus diuisibilem, sex à Bart. constituuntur gradus meri imperij, quorum primo, quem maximum appellat, legis condendæ facultatem collocat, eiq; communis DD. Schola astipulatur, male tamen, cum talis facultas imperij non sit, nam loquimur cũ Vlp. de imperio, quod est species iurisdictionis communicata; sed est altioris cuiusdam ordinis, & supremæ potestatis Principi reseruatæ *l. Princeps 31. ff. de legib.* neq; enim iurisdictio est, sed potius iuris constitutio: Et licet, antequam Cæsares crearentur, potestas hæc penes populum esset, deinde vero penes Senatum, creatis tamen Imperatoribus, totam illam potestatem eis, & in eos l. Regia lata, cócessit populus, & Senatus *§. sed & quod Principi Instit. de iur. natur. gent. & ciu.* nec amplius Senatus proprio iure illam sibi vendicauit, sed si quando huiusmodi potestatem habuisse visus fuit, vt satis dilucide apparet *ex l. non ambigitur 9. ff. de legib.* id tamen factum esse credendum est ex Principis auctoritate, & permissione, vt indicant postrema verba Imp. *in l. vlt. C. de legib.* & sic quasi nomine Imperatoris, & vice ipsius; quapropter absolute, vt dicebamus, apud solum Principem legis condendę potestas residet.

64 Reiecto igitur eminentiore illo gradu à Bart. & DD. consi-

confiſcato, vere primus gradus erit is, in quo conſtituitur poteſtas, de qua Vlp. hic, animaduertendi ſcilicet in facinoroſos homines, ſiue in totum, ſiue in partem corporis *§. ad hæc prohibemus Auth. de collator.* vnde conſtat, membri inciſionem vltimo comparari ſupplicio, & capitalem pœnam dici poſſe, vt tradit Bart. *ad l. transſigere* 18. *C. de tranſact.* dummodo non ſit minimi alicuius membri, puta digiti, vel auriculæ amputatio.

65 Si quis autem interroget, Num tempore Vlp. membri abſciſsio fuerit in vſu, reſpondebimus affirmatiue, ac proinde male à quibuſdam coargui Accurs. ita ſentientem.

66 In eodẽ primo gradu meri imperij collocatur damnatio in metallum, tanquam vltimo ſupplicio proxima *l. illicitas 6. §. qui vniuerſas ff. de offic. Præſid.* quod etiã ratione euincitur, etenim damnati in metallum fiunt ſerui pœnę, ſeruitus autem comparatur mortalitati, vt loquitur I.C. *in l. ſeruitutem* 210. *ff. de reg. iur.*

67 Pœnam quoq; perpetui carceris in eodem gradu collocandam putamus, licet iure ciuili parum frequens ſit, frequentius tamen à canonico imponitur, quod, cum pœnam ſanguinis non irroget, eius loco pœnam ſubrogauit perpetui carceris, qua quodammodo libertas amitti videtur. Pœna tamen, qua quis afficitur, dum ad pœnam conijcitur in carcerem ad tempus, inferiori gradu debet ſtatui.

68 Cæterum cum quis in carcerem plerumq; detrudatur ad cuſtodiam, non ad pœnam, & duplicem ob cauſam contingat, ciuilem ſcilicet, & criminalem, ideo abſolute ſtatui nequit ad quam poteſtatem pertineat, ſed ex ſubiecta materia dignoſcitur, ita vt iudicetur de principio actus, quod de ipſo actu *l. oratio* 16. *ff. de ſponſal. l. vlt. C. de reb. Eccl. non alien.*

69 Secũdum ſibi vendicat meri imperij gradum pœna deportationis, quæ & ipſa capitalis dicitur *l. capitalium* 28. *ff. de pœn.* & licet morti comparetur propter amiſſionem ciuitatis illi annexam *l. ſi necem* 4. *§. ſi deporta-*

tus ff. de bon.libert. ita vt ideo videatur superius locanda, tamen, cum negari non possit, quin minor seueritas sit in huiusmodi pœna, quam in superioribus, merito hic potius statuitur, etiam post damnationem in metallum, qua non modo ciuitas, verum etiam libertas amittitur, & morti magis accedit *l. intercidit* 58. *ff. de condit. & demonstr.* vnde maxima capitis diminutio per eam contingit, per deportationem vero media *§.* 1. *Instit. de capit. dimin.* & si alioquin in multis conueniant.

70 Sicut loco interdictionis aquæ, & ignis olim successit deportatio, ita hodie in locum deportationis succurrit quod bannum dici solet, de quo tamen controuertitur inter DD. vtrum simpliciter sit deportationi cōparandum. Et quamquam multorum sententia sit affirmatiua, nihilominus distinctionem afferamus necesse est, aut .n. eorum, qui bannum passi sunt, bona fuere publicata, & facultas omnibus concessa eos necandi, & deportatis merito comparantur, *l. qui cum maior* 14. *§. is demum ff. de bon. libert. Gloss. in §. relegati Instit. quib. mod. ius patr. pot. solu.* aut simpliciter bannum sunt passi, & iura ciuitatis solius eo casu amittunt, comparanturq; relegatis.

71 Hinc elicimus veriorem differentiam (quicquid multi dixerint) inter deportationem, & relegationem hanc esse, quod per illam omnia iura ciuitatis amittuntur, per hanc vero secus.

72 Quapropter inferiorem sedem obtinet relegatio vna cum cæteris pœnis corporis, quæ dicuntur afflictiuæ, cuiusmodi est acris verberatio *l. si quid erit* 11. *ff. de off. Procons.* & tortura, quæ vergit ad pœnam.

73 Errat Bart. & quicunq; cum eo putant, torturam, quæ pœnæ nomine non infertur, sed ad veritatem eruendam, simplicis iurisdictionis esse, cum tamen mixti, vel meri imperij semper sit, cum sine imperio, & coercitione esse nequeat. Dicimus ergo iuxta subiectam materiam determinandum, ideoq; modo ad merum imperium, si in criminalibus causis adhibeatur, spe-

ctare,

ctare, modo ad mixtum, si in ciuilibus, quemadmodum diximus de carceribus ad custodiam.

74 Modica coercitio à subiecta materia secundum se præcisa imperio in genere sumpto adscribenda omnino videtur, sicut enim imperium generaliter sumptum abstrahit à causis criminalibus, & ciuilibus, vnde est, vt cum mero, aut mixto imperio non confundatur, ita modica coercitio in se ab illis abstrahit, ac ideo cũ mero, aut mixto imperio non confunditur.

75 Verum, si secundum rationem concretam modicam coercitionem contemplemur, à subiecta materia determinari sic arbitramur, vt, quatenus in criminalibus causis reperitur, meri imperij sit, quatenus vero in ciuilibus, mixti, namq; aut cohæret iurisdictioni, & ad mixtum imperium spectat, aut ab illa separatur, & sub mero continetur, & hoc pacto non veremur, quin vetustiorum quorumdam DD. altercationes cõpescantur.

76 Hinc quartum meri imperij gradum astruimus, in quo modica coercitio, quę in criminalibus causis exercetur, collocatur, vt potè quæ mitioris est conditionis, quam pœnæ superius positæ.

77 Quicquid autem de modica coercitione diximus, idẽ de mulcta asserimus, nam, si mulcta præcise consideretur, imperij erit genericè sumpti ratione, quam supra tetigimus, si vero in concreto, meri imperij erit, si in criminalibus causis imponatur, & mixti, si in ciuilibus.

78 Inferius tamen, quam modica coercitio, statuenda est mulcta, quæ quintum, & omnium postremum gradũ astruit, nam coercitione, quę corpus, vel famam lędit, mitior est mulcta, quæ in pœna pecuniaria consistit *l. in seruorum 10. in fin. ff. de pœn.*

79 Sed iam speciem alteram imperij persequamur, quam imperium mixtum I.C. appellat, nec aliunde mixtum dici dubium esse putamus, quam quia de imperio, & iurisdictione participat, vt scribit Vlp. *hac l. nostra.*

80 Vnde liquet, merum, & mixtum inuicem opponi, vt in

physicis

physicis corpus simplex, & compositum non solū per se, vt homo, sed etiam per accidens, vt meteora omnia, quod ideo dixerimus, quia in iure nobis compertum est, (vtcunq; contra sentiat Ant. Fab. *lib. 4. coniect. cap. 4.*) duas quodammodo dari mixti imperij species, quatenus aliud sit mixtum imperium, cui iurisdictio inest, aliud, quod iurisdictioni cohæret, vt notat Paul. ad Papin. *l. 1. in fin. ff. de offic. eius, cui mand.* & ideo primum, cum intrinsece iurisdictionem imbibat, mixtum per se dici posse existimamus, secundum vero, de quo iurisdictio per modum accidētis dicitur, per accidens mixtum.

81 Nec arduum est inter vtrumq; distinctionis rationem assignare, ea enim est, vt imperium, cui inest iurisdictio, sit illud, in quo uis imperij magis elucet, quam iurisdictionis, veluti cum Prætor in integrum restituit *l. ea quæ 26. ff. ad municip.* iudices litigatoribus dat *l. 1. hoc tit.* bonorum possessionem decernit *l. nostra* alijsq; extraordinarijs postulationibus morem gerit. At imperium, quod iurisdictioni cohæret id est, quod iurisdictioni deseruit, & eius explicandæ causa exercetur *l. 1. §. vlt. ff. de off. eius cui.* quod postea in modica coercitione consistere idem Paulus docuit *in l. vlt. ff. eod. tit. de off. eius.*

82 Vitiosam mixti imperij affert hic Bart. ex Petro definitionem non minus à nobis reijciendam, quam fuerit superior definitio meri imperij: Est enim diminuta, nec rei definitæ adæquata.

83 Quocirca aliam primo valde vtriq; mixto imperio in abstracto congruentem definitionem afferimus, vt sit imperium iurisdictioni coniunctum, ex qua secundo loco facile est vtriusq; imperij in specie definitionem elicere, vel vnicam particulam per modum specificæ differentiæ superaddendo, nam si (essentialiter) addatur, imperium per se mixtum definitum erit, si (ex accidenti) imperium mixtum per accidens, & hæ specificæ definitiones re nō discrepant ab illis Vlp. & Paul. obiter in diuisione mixti imperij relatis.

84 Si quis vero postulet ex cuiusnam iurisdictionis, & imperij mixtione consurgat imperium mixtum; respondemus ex imperio in genere, & iurisdictione simplici, quæ sunt in pari ordine. Damnamus ergo sententiam eorum, qui putant iurisdictionem inesse imperio tanquam genus suæ speciei; sequeretur enim merũ quoq; imperium dici mixtum, nam & ipsum imperium merum includit iurisdictionem in genere tanquam genus suum.

85 Quod vero ad huius mixti imperij gradus statuendos attinet, recedimus à Bart. existimante, veniam ætatis, legitimationem, arrogationem, emancipationem infantis, & si quæ alia sunt soli Principi reseruata, in primo gradu collocanda, nam è longinquo nimis petitur exordium mixti imperij, quod cogimur hic cum Vlp. in solis magistratibus intueri, quare eo prorsus modo reijcitur hic primus Bart. gradus, quo supra primus imperij meri.

86 Sed nec magis secundum Bart. gradum approbamus, quatenus in illo statuit ius Præfecto Prætorio cõmunicatum à Principe cognoscendi per supplicationem de viribus sententiæ latę ab ijs, à quibus non datur appellatio; ratio sit, quia in hac cognitione recipienda nullum elucescit imperium, quamobrem à mixto penitus excludimus.

87 Primus igitur verus gradus est, qui continet causas, in quibus plenaria causæ cognitio desideratur cum coercitione reali, vel personali explicanda; quare hoc primo gradu vltro statuimus remotionem suspecti tutoris, omnesq; executiones sententiarum, in quibus imperium, & coercitio apparet, & deniq; omnia, quæ magis imperij, quam iurisdictionis sunt *l. iubere cauere 4. hoc tit.*

88 Secundus vero gradus sit, qui causas continet plenam imperatiuo modo cognitionem desiderantes, coercitionem tamen prædictam excludentes, quemadmodum est illa dandæ bonorum possessionis, quæ iuris est, non quidem edictalis, sed decretalis desiderantis

causæ

causæ cognitionem, videtur namq; inesse aliquod illi imperium Prætoriæ tuitionis aduersus eos, qui iure ciuili succederent, quicquid in contrarium congesserit Ant. Fab. *lib. 4. coniect. cap. 4.* & ante eum Io. Longouall. *ad hanc l. nostr.*

89 In tertio gradu ponimus causas, quæ summariam imperatiue adhibitam cognitionem exigunt, vt est Carboniana bonorum possessio, & similes, tum eorũ adoptio, qui alieni sunt iuris, quæ fit imperio magistratus *§. 1. Instit. de adopt.* & aliqualem causę cognitionem postulat, leuiorem tamen, cum inter volentes celebretur.

90 Deniq; in quarto, & vltimo gradu causas nullam cognitionem exposcentes, auctoritate tamen magistratus intercedente, collocamus, vt cum actus iurisdictionis voluntariæ explicantur in manumissionibus seruorũ, atq; emancipationibus liberorum, qui sunt infantiam prætergressi, imperio enim dictas causas non carere constat, dum eas magistratu auctore fieri dicimus.

91 Postremo loco ad iurisdictionem simplicem properandum est. Hanc autem in iure reperiri ita pro comperto habemus, vt mirari cogamur Iacobum Cuiac. quẽ plurimi facit ius, contrarium suspicatum esse, & firmiter asseuerasse *lib. 21. Obseruat. cap. 30. & alibi*, dum iurisdictionem cum mixto imperio confundit.

92 Reprobamus Bart. definitionem eodem vitij genere laborantem, quo superiores, & hunc in modum iurisdictionem simplicem malumus definiendam. Est ciuilis cognoscendæ, ac finiendæ controuersię publica, & ab omni imperio discreta potestas.

93 Huius quoq; simplicis iurisdictionis gradus commode assignantur, & in primo gradu collocandæ sunt omnes causæ status, seu liberales, ingenuitatis nempe, ac libertinitatis, quæ per actiones præiudiciales in iudiciũ deducuntur *§. præiudiciales Instit. de action.* & merito primum obtinent locum, cum in eis de re inæstimabili agatur *§. eadem lege Instit. Quibus ex caus. manum. non lic. l. liber homo 13. vbi Gloss. ff. ad l. Aquil.*

94 Ad secundum gradum spectāt illę omnes causæ, in quibus vigore sententiæ latæ super aliqua actione peruenniri potest ad corporis cruciatum, iuxta illud, qui non habet in ære, luat in corpore *l. vlt. ff. de in ius voc. l. 1. §. 1. ff. de pæn. l. si quis 35. ff. de iniur. l. quicumq; 4. §. 1. C. de seru. fugit.* nam cum possit condemnatio pœnam corporalem attingere, videtur momentum super cæteras infra collocandas causas simplicis iurisdictionis habere. In eodem quoq; gradu reponimus interpositiones decreti quo ad transactionem alimentorũ, & alienationem minorum, quas falso ad mixtum imperium reuocant multi.

95 Ad tertium pertinent causæ, quæ excedũt quinquaginta solidos iure Cod. vel tercentos aureos iure Auth. *§. iudicare Auth. de defens. ciuit.*

96 Ad quartum deniq; rediguntur cæteræ leuiores: quapropter nihil est, cur plures gradus statuantur. Sed & isti omnes, dicet aliquis, quid fuit, cur ponerentur? Scimus quidem hac de re Bartolum coargui à nonnullis, sed Bartolum, & nos pariter excusat facilioris ordo doctrinæ, qui quemadmodum terminos interdum sibi vendicat peculiares, ita neq; peculiares distinctiones respuit, & nos olim in scientijs seuerioribus experti sumus.

97 Post enucleatam naturam iurisdictionis, non infrugiferè quæritur, an concessa à Principe alicuius castri iurisdictione, videatur concessa simplex iurisdictio, vel etiam merum, & mixtum imperium, & cum communi schola affirmatiuam sententiam sequimur, præeunte nobis Papin. *in l. 1. ver. & ideo ff. de off. eius.* qui nomine iurisdictionis delegatæ merum imperium complectitur, quapropter si iurisdictionis nomen cõtinet merum imperium in delegatione, multo magis in cõcessione Principis, qui merum imperium transferre potest.

98 Sed cur iurisdictio dicitur ab Vlp. iudicis dãdi licẽtia? Non sane, quia emendatione locus indigeat, vt audacter contendunt Ant. Gouean. & Ant. Fab. vel quia

iudicem dare sit iurisdictionis simplicis, vt multis placuit, quin potius sit mixti imperij, vt & ratio suadet, & particula illa *etiam*, qua vtitur Vlp. aperte denotat. Itaq; libenter horum sentētijs omissis explicationem amplectimur, quā attulit Alciat. *lib. 2. Paradox. cap. 8.* & quam doctiores quiq; probare videntur, vt nil aliud sibi velit I.C. in fine l. quam nouum afferre exemplū imperij mixti, quasi dixerit, *etiam in licentia dandi iudicis est iurisdictio*. verum elegantius explicat Iacob. Cuiac. *lib. 21. Obseruat. cap. 30. & ad l. 1. ff. de off. eius.* qui idem re ipsa sentiens cum Alciat. mauult nomen *licentia* nominatiui casus esse, quam ablatiui, vt sensus sit *etiam licentia dandi iudicis, est iurisdictio*. Eapropter Alciato tanquam veræ sententiæ indici assentimur, Cuiacio vero tanquam interpreti elegantiori.

99 Cum in eadem l. verius putemus, nō definitionem meri imperij ab Vlp. afferri, sed potius insigne aliquod exemplum, merito nomen gladij materialiter sumi, ac propriecum communi DD. schola sentimus.

100 Ex regula, qua denominatio à parte nobiliori facienda dicitur, euenit, vt id, quod ex mixtura simplicis iurisdictionis, & imperij consurgit, ab imperio potius, quam à iurisdictione denominetur mixtum imperiū, quod manifeste elicitur ex hac l. dissentiente tamen Decio, sed ratione adeo futili, vt vere in luce meridiana cœcutierit.

101 Ab ea tamē regula receditur in legitima maris, & fœminæ coniunctione, cum ea matrimonium à matre potius, licet minus digna, appelletur, quam à patre. Cuius rei rationem dum rimantur DD. varie sentiūt. Placet nobis, quam summus Pontifex *in cap. ex literis 2. de conuers. infid.* affert, hoc ideo fieri, quia maiora sustinet onera mater in sobole, quam pater. Non tamen displicet ratio Riminald. *hic. n. 104.* quia & nos eius sumus sententiæ, vt fœmina actiue concurrat ad procreationem fœtus, & partem præbeat potentiorē. Sed firmissime huic adhærendum putamus, quia mulier est in adiutorium viri à Deo Opt. Max. creata, eiusq;

potis-

potissimum datum officium sobolis, cum cætera ferè omnia propria sint virorum.

102 Appellatione pœnæ capitalis præsertim in statutis nõ venit vltimũ supplicium, quo naturale caput abscinditur, sed alia inferior pœna, qua caput ciuile mutatur, cum in pœnis mitior, quam fieri possit, sit facienda interpretatio *l. si Præses 32. ff. de pæn.*

103 Secus tamen esset, quoties statutũ de pœna capitis loquens ageret de crimine, pro quo iure communi vltimum supplicium infertur: notissimi est enim iuris, generaliter statutã recipere interpretationem à iure communi *l. si serui vestri 2. C. de noxal. action.*

104 Sententia definitiua in causis summarijs non mixta, sed mere definitiua appellari debet, nam nihil habet cum interlocutoria commune, licet & ipsa solemnitatibus careat, sed ad summum similitudo quædam inter vtramq; considerari potest: Vnde tamen recte infertur, statutum loquens de sententia mere definitiua posse intelligi de sententia, quæ fertur in causa summaria.

Ex Interpretatione Rub. & l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. est. iurisd.

105 APprobata ea, quę circumfertur cõmuniter huius tit. cum precedenti connexione (quicquid machinentur non nulli ex aduerso) colligimus cum DD. iurisdictionem ordinariam esse digniorẽ delegata, & hoc adeò generaliter proferimus, vt contra eosdem DD. verius arbitremur, ne quidem Principis delegatum esse digniorem ordinario; quamquam non diffiteamur (quod communiter negatum cernimus) firmiorem esse iurisdictionem delegati à Principe, quam cuiuslibet ordinarij; constat enim Principem delegando nullam

tribuere

tribuere dignitatem *l. præcipimus 32. l. si quando 36. C. de appellat. §. vlt. Auth. de appellat.* nec non delegatũ Principis causas delegare posse nullo causarum, aut personarum habito discrimine, quod ordinarijs iudicibus expresse denegatur *l. vnic. C. qui pro sua iurisd.* præterquam quod manifeste apparet, eumdem delegatum præcipere maioribus se *cap. sane 11. & cap. pastoralis 28. de offic. deleg.*

106 Ambiguot Nostrates, an delegatus Papæ denominandus sit eius officialis. Leui negocio expeditur quæstio, si distinguendo, eum quidem delegatum dicamus officialem Papæ, cui mandata est iurisdictio vniuersitatem causarum continens, cum quodammodo magistratum gerat; cæterum non ita dici posse cum, cui vna, vel altera causa demandatur, cum officium formatum in eo non resideat, sed variabile, & incertum.

107 Pluribus quoq; disputant, an Potestas Pistorij dicatur officialis communis Florentiæ. Hanc quoq; nostrorum controuersiam ne illibatam relinquamus, rectius sentire eos credimus, qui aduersus communem sententiam officialem dici malunt, siue causam efficientem, siue dominium in proposita formula, & nomine officialis consideremus.

108 Longe distant dare iudicem, & mandare iurisdictionem. Et vero inter pleraq; discrimina illud agnoscimus, quod is, cui mandata est iurisdictio, potest iudicem dare, iudex autem datus nequit. Quod ille possit, aperte testatur Paulus *in l. cũ Prætor 12. §. is quoq; ff. de iudic.* Et licet non desint, qui textum misere coarctent ad legatum Proconsulis ibi positum, vt dicunt, per modum exempli insignioris, tamen, cum non detur alij similes, manifeste deprænditur, Paulum loqui de omnibus, quibus iurisdictio mandatur. Quod iste nequeat, docuit Imp. Gord. *in l. à iudice 5. C. de indic.*

109 Sit aliud discrimen, quod à iudice dato appellatur ad eum, qui dedit, ab eo vero, cui mandatur iurisdictio, quia idem est illius tribunal, & eius, qui mandauit, ap-

pellatur

pellatur ad superiorem mandante. Et huic tertium discrimen subnectimus, cæteris prætermissis, quod iudex datus suam non exequitur sententiam, sed is exequitur, qui dedit, is autem, cui mandata est iurisdictio, potest exequi, cum in hunc totum officium iurisdicundi transeat *l. 1. ff. de suspect. tutor.* in iudicem vero datum solum officium iudicandi.

110 Non dari gradum superillustris si quis putet, non decipitur, sed nec decipitur, qui dari concedat; quomodo autem hoc procedat, percontanti à nobis satisfiet.

111 Legum DD. qui 20. annos ius ciuile professi sint, non in gradu illustrium, sed verius spectabilium collocandos tuebimur.

112 Variæ à varijs afferuntur rationes ad regulam, quam Papin. affert *in hac l.* cur ea, quæ specialiter tribuuntur, non possint delegari. In hac varietate sola nobis arridet ratio, quam adducit Alciat. *lib. 2. Paradox. cap. 6.* dicens, ea, quæ specialiter tribuuntur, remanere tribuentis.

113 Subsequentis vero affirmatiuæ regulæ de ijs, quæ iure magistratus competunt, non aliam censemus rationem posse adduci, quam quia id more maiorum introductum sit, vt scribit Iulian. *in l. more 5. ff. hoc tit.* & huius introductionis causam assignamus faciliorem exitum causarum, vt magistratus, qui propter earum multitudinem singulas per se expedire non poterant, aliena opera vterentur, & per alios munus suum exercerent.

114 Vtrum ordinarius possit delegare cum potestate subdelegandi, sic decidimus, vt, quatenus subdelegatio distinguitur à iudicis datione, negantium sententia vera sit, quatenus vero comprehendit, affirmantium.

115 Merum imperium, prout est in magistratibus, esse omnino indelegabile cum communi intrepide sentimus, nam, cum initio cœperit specialiter lege dari, semper cum hac qualitate communicatum est alijs, & propagatum, & ideo semper connumerandum inter specialiter tributa. Non tamen inficiamur, prout est

in

in Principe, contrarium esse dicendum, quemadmodum etiam, si ius Canonicum intueamur, siue consuetudinem in contrarium introductam, quæ non esset interpretatiua, vt quidam volunt, sed correctiua.

116 Delegabile tamen est merum imperium à Magistratu propter absentiam, neq; solum quo ad causæ cognitionem, vt est communis opinio, verum etiam quo ad definitionem, constat enim, exceptionem debere esse de terminis regulæ *vulg. l. nam quod liquide 4. ff. de penu legat.* Dum ergo regula negatiua est, ne exercitatio, idest tota causa *cap. vlt. de foro comp. in 6.* delegetur *hac l. nostra* cur exceptionem de tota similiter causa intelligi necesse non erit?

117 Dum vero propter absentiam delegabile merum imperium dicimus, excludimus absentiam non necessariam, eamue, quæ breui tempore sit duratura.

118 Quid autem, si mala valetudine magistratus detineatur? Respondendum posse delegari, ægritudo enim absentiæ comparatur *l. quæsitum 60. ff. de re iudic.* quinimo congruentior hæc causa delegãdi videtur, quippe cum absens possit multa expedire, vt puta per epistolas, quæ non potest, dum morbo laborat.

119 Eo reuerso, si absens fuerit, intelligi delegationẽ meri imperij ipso iure reuocatam, recte à DD. definitum arbitramur *§. ad hęc prohibemus Auth. de collat.*

120 Decipiuntur tamen, dum putant merum imperium posse à delegato Principis subdelegari *l. vnic. C. qui pro sua iurisd. ijs verbis (nullo personarum, causarumq; habito tractatu)* eo etenim loci illorum assertio nihil omnino probatur, si veram eius legis sententiam assequi (quod tamen paucissimis datum videmus) nobis cordi sit.

121 Mixtum imperium delegari posse non ambigimus, nobis id aperte suadente I.C. *in l. cognitio 4. in fin. hoc tit. iuncta l. iubere 4. ff. de iurisd. omni iud.* quem dum ita interpretantur DD. vt loquatur de mandata cognitione causarum, quæ ibi ponuntur, nihil agunt, quia licet de cognitione suspecti tutoris in princ. sit

sermo, inferius tamen non de cognitione agitur, sed de executione.

122 Caeterũ negamus posse delegari auctoritatẽ in seruis vindicta manumittendis à maioribus 25. annis. Nec refragãtur verba Imp. *in l.2.C.comm.de manumiss.* quibus vti solent pleriq; seu verius abuti, nam si sedulo pensentur, specialiter tribui huiusmodi auctoritatis praestandae facultatem, non obscure deprahenditur.

123 Tutoris quoq; datio connumeranda est inter specialiter tributa, non solum de iure veteri Pandectarum *l. muto 6. §. tutoris datio ff. de tutel. & Instit. de Attil.tutor. in princ.* sed etiam iure nouo, licet fuerit propagata, & communicata pluribus *§. nos autem Instit. eod.tit. de Attil. tut.* quare indelegabilis erit aeque, ac auctoritas in manumissionibus.

124 Quod attinet ad sententiam l. nostrae, reprobamus interpretationem communem, quam operose confutat hic Raph. Fulgos. Alciat. *lib. 2. Paradox. cap. 1.* Longouall. *ad l. imperium 3. ff. de iurisd. omn. iud.* & alij: eamq; retinendam contendimus, quam idem Fulgos. adduxit, & cum eo illa vere iure magistratus competere dicimus, quae propria sunt, & naturaliter magistratibus tàm maioribus, quàm minoribus insita.

125 Inter caetera, quae aduersus Fulgos. interpretationem obijci solent, valide videtur vrgere auctoritas Impp. *in l. 2. C. de pedan. iudic.* quam Batt. omnium in toto Cod. descriptarum difficillimam praedicat, vbi in ijs causis, in quibus Praesides solebant ex officio suo cognoscere, sicut non poterant olim iudices dare, ita nec hodie possunt, *ex officio* exponi solet, *idest iure magistratus*. Hęc si nobis obijciatur, longe aliam ostendemus esse Impp. sententiam, quàm hactenus existimatum sit, & ex Clariss. Praeceptore nostro nouam, eamq; elegantissimam interpretationem afferemus.

126 Praecipuus hac l. nostra locus est, & ab omnibus quotidie laudatus ad probandam validitatem argumenti à contrario sensu, quod fortissimum Papin. appellat. Sed enim, cum nobis exploratissimum sit, nec esse demon-

monstratiuum, nec plus roboris in eo esse, quam in directa sententia legis, quę sępius deficit; concludimus, & illi suas esse exceptiones, licet. n. semper educi posse videatur, si secūdum mere physicam inspectionem contrarietatem priuatiuam inter vtriusq; sensus subiecta consideremus (secundum quam idcirco sensus cōtrarius priuatiue in prędicatione opponitur directo, eiq; sine vlla contradictione ita coniungitur, vt vterq; simul natura, & tempore, in suis quisq; terminis ad inuicem, vt ad inuicem relatis perpetuo verificetur) tamen quia contrarietatem prędictam præcisè à parte rei non reperiri certum est, & propterea quamcumq; non limitatam in re consistentem, vt decuit, prudenter spectarunt DD. omnes, eamq; nō secundum se, vt Philosophi, sed prout in ea mentis humanæ conceptus in legibus construendis, & interpretandis relucet, nil mirum, si pro humanæ mentis varietate, in tot expresis, editisq; eius conceptibus, & decretis, quibus constat ius nostrum, argumentū hoc, vt potè quod non nisi taciti, præsumptiue conceptus vim ostensiuam præseferre valet, non raro, vt infra indicabimus, inefficaciter concludere compertum sit.

127 Non ideo placet opinio Decij adeo parum huic argumento tribuentis, vt existimet ex eo non induci nouā contrariā dispositionē, sed tātummodo dispositionis directæ cessationē, quæ nulla est, in casu contrario.

128 Celebris hac in re est auctoritas Impp. *in l. 2. C. de condit. insert.* quam, ne repugnet argumento à contrario sensu, variè expositam comperimus. Arridet nobis præ cæteris sentētia Fulgos. ex pluribus à Riminald. relatis, licet subobscure ab vtroq; exposita, quæ quidem nec Cuiac. displicuisse videtur *lib. 9. Obseru. cap. 6.* quamuis & ipse nō rectè satis recensuerit. Ex Fulgos. habemus, non sequi, quod illinc non eliciatur argumentum à contrario sensu, nam decisio hoc vno nititur, quia absurdum videtur, edicti perpetui negligi formam sub hoc prętextu, quia patris voluntati obtemperari non debeat.

129 Vnde colligere est, valere argumentum à contrario sensu in vltimis voluntatibus, quod & alibi non raro in iure fit conspicuum.
130 Idem respondendum est in contractibus tàm stricti iuris (vna tamen excepta stipulatione, quæ quoniam sine verbis non contrahitur, ex tacito consensu contrario intelligi nequit) quàm bonę fidei, vt euincitur ex I.C. *in l. inter socerum 26. §. cum inter ff. de pact. dotal.* Neq; officit Decij animaduersio, cum argumentum istud in plerisq; casibus ex eo operetur, quoniam verba in sensu directo forent superflua, vt patet, ne lõgius vagemur, ex Papin. hoc loci, nam si lex Iulia non sensisset merum imperium esse indelegabile, frustra concessisset ab absente delegari.
131 Quid in sententijs? Valere etiam dicimus hoc argumentum, cum apud nos valeat illa regula, quicquid in vltimis voluntatibus, & contractibus interpretandis seruatur, in actibus quoq; iudicialibus seruari *l. seruus hac lege 9. ff. de manumiß.*
132 Idem iuris putamus in rescriptis *l. si procuratorem 8. §. si ignorantes ff. mandat.* quem tamen locum euitare studet Dec. dum ait fideiussores ibi ignoranter soluẽtes repetere posse, nõ per contrarium illius rescripti sensum, sed potius quoniam obligatio illa non egrediebatur scientes. Verum labitur, nam statuit ibi, fideiussores soluentes ignoranter indemnes seruari, probariq; ait ex rescripto illo, in quo de ignorantia nullum verbum, at solum de scientia.
133 Quod autem de rescriptis diximus, idem asseueratum volumus de legibus, tàm humanis, quàm diuinis, cum & in ijs generaliter argumentum procedat.
134 Sed iam ad ea, in quibus nulla est vis huiusce argumenti. Nullum itaq; locum sibi vendicat, quoties inde aliqua consurgit absurditas, nempè quidpiam honestatem lædens, bonos mores, ius naturale, aut diuinum, seu etiam canonicum, vel ciuile, quorum omnium violatio, vel correctio per subauditos intellectus induci nullo pacto debet.

135 Non

135 Non placet eorum opinio, licet frequentius recepta, qui volunt, huiusmodi argumentum inutile esse, si ducatur ex verbis negatiuis, cum contrarium verius nobis ostendat I. C. *in l. ex eo 18. ff. de testib. & l. qui testamento 20. §. cum qui ff.* de testam. dum l. Iulia verbis negatiuis vtente, per sensum contrarium affirmatio recte nihilominus emanauit.

136 Neq; propterea negocium nobis vllum facit Scæuola *in l. Titia 59. §. vlt. ff. de manumiss. testam.* vbi ex ijs verbis *Nisi rationes diligenter excußeris liber ne esto* non resultat post excussas rationes datio libertatis. Obscurus loquendi modus est, non diffitemur, sed innumeræ, quæ penè ab innumeris excogitatæ sunt, expositiones obscuriorem reddunt. Nobis ea sententia resedit, vt considerandus potissimum sit hoc loci mos Scæuolæ; qui de quæstionibus iuris, non vero facti, hoc est coniecturis respōdere solitus fuit, vt rectè obseruat Fran. Duaren. *ad l. qui Romæ 122. §. Augerius ff. de verb. oblig.* Cum ergo argumentum huiusmodi, vt diximus, à tacita voluntate pendeat, quæ contrarijs præsumptionibus eliditur, noluit ille I. C. de sensu cōtrario quidquam statuere; at solum respondit, verba testatoris in sensu directo magis adimere, quàm dare libertatem.

137 Deficit idem argumentum, quoties tolleretur futura, ac sequens dispositio expressa, tàm in vltimis voluntatibus, vt patet in specie ab eodem Scæuola proposita *in l. vlt. in princ. ff. de legat.* 2. quàm in contractibus, in quibus etiam posteriora derogant prioribus *l. pacta nouissima 12. C. de pact.* quod etiam procedit in legibus *l. vlt. ff. de constit. Princip. Bald. ad l. vniuersa 4. C. de precib. imper. offer.*

138 Deficit præterea in verbis narratiuis, vt scribunt Canonist. *ad cap. publicatio 58. de elect.* cuius rei suppeditatur exemplum *ex cap. quod dicitur 4. de verb. signifi.* nihil in contrarium operante repræhensione Decij.

139 Adhæc nullum est, si forte extet statutum disponens, ne statuta interpretari debeant, sed percipienda sint, pro

pro ut verba sonant; quo casu nullus est locus coniecturis, ac ideo neq; probabili isti argumento.

140 Quemadmodum nullus est eidem locus, cum in lege, vel alia quauis dispositione aliquid prolatum sit exẽpli gratia *l. 1. §. quod vulgo ff. de vi, & vi arm.* constat enim exempla non restringere *l. damni infecti 43. ff. de damn. infect.*

141 Insuper nullus est locus, si verba dispositiua sint prolata cum adiectione particulæ, etiam, præsertim, maximè, vel similibus, quarum uis esse solet implicandi, cæteros casus in eadem ratione, & dispositione contineri *l. conuenticula 15. C. de Episcop. & cler.* Vnde alia quoq; elicitur exceptio, vt videlicet nullum sit argumentũ, dum in casu contrario eadem militet, vel fortior ratio, quę in casu expresso, quod etiam procedit, si genus de vtroq; contrario prædicetur.

Ex Interpretatione Rub. l. 1. & l. edita 3. C. de Edendo.

142 EDitio, si nominis deriuationem, & originẽ spectemus, à verbo edere descendit, nõ quatenus habet primã syllabam correptam, & à græco verbo proficiscitur, idq; valet, quod vesci *l. ex empto 11. §. animalium ff. de action. empt.* sed quatenus productam, voxq; est composita à præpositione, è, & verbo, dare, quod significat extra dare, quare editio idem erit, quod extra datio.

143 Triplex affertur editionis definitio ab Vlp. vt videre est *in l. 1. & 6. §. si initium ff. hoc tit.* sed quia potius descriptionis rationem, quam veræ definitionis obseruauit I. C. ideo editionem in genere sic definiendam arbitramur. Editio est ad vsum iudicij iurium vtriusq; litigatoris per scripturam ostensio.

144 Quadrifariam diuiditur editio iuxta quadripartitam causa-

causarum naturam. Prima enim diuisio à causa materiali est, vt editio alia sit actionum, siue accusationum, alia instrumentorum. Secunda à causa formali, alia omnino fit, alia pro parte. Tertia à causa efficiente, alia ab actore, alia à reo, alia à tertio, vt puta ab argentario, vel notario. Quarta à causa finali, alia ad instruendum, & commonendum præsertim reum, vtrum cedere, vel contendere debeat *l. 1. §. edendo ff. hoc tit.* alia ad probandum iura cuiusq; partis, cũ sine probatione nemo possit obtinere *l. quoties 18. §. vlt. ff. de probat. l. qui accusare 4. C. hoc tit.*

145 Editio generaliter non est præparatoria iudiciorum, ordine executionis inspecto, secus tamen ordine intentionis, vnde sola actionis editio dici potest iudiciorum præparatoria.

146 Non semper ex præparatorijs infertur ad preparatum ex necessitate, cum multa dentur præparatoria necessariam connexionem cum præparatis non habentia, quale statuimus turpe osculum respectu adulterij.

147 Quamobrem nõ poterit mulier propter osculum dote priuari, vt rectè senserunt pleriq; recentiores, licet propter adulterium non dubitemus, quin sit priuãda.

148 Non inopportunè, cum de præparatorijs agatur, attingi solent nonnulla de actione ad exhibendum, quæ vt plurimum præparatoria est rei vendicationis. Hanc omnes vno ore personalem actionem vocant in rem sciptam; quàm autẽ rectè, ipsi viderint. Longè alia est nobis sententia existimantibus præter cæteros, nec personalem in rem scriptam, nec realem, nec mixtam appellari posse, nec certa denominatione esse censendam; sed, cum actionibus proponendis famuletur, debere iuxta earum varietatem, modo personalem in rem scriptam, modo realem, modo mixtã affirmari.

149 Est ergo suapte natura indeterminata, & anomala; fit tamen eius conditionis, cuius est actio, quam ipsa præparat. Quod si quis exemplum exigat non ineleegans, habeat motum, qui cum ex probabiliori Philosophorum sententia ex se ad nullum præcisè spectet

præ-

prædicamentum, in eo tamen commodiſsime collocatur, in quo reponitur terminus, ad quem producendum motus efficitur.

150 Nec nos mouet Vlp. *in l. 3. §. est autem ff. ad exhib.* dū perſonalem hanc actionem diſertè nuncupat, & cuius verbis decepti videntur DD. ad vnum omnes, excepto Hugon. Donell. *lib. 20. comment. iur. ciu. cap. 9. & ad §. 1. n. 14. Inſtin. de action.* à quo Vlpiani ſententiam primum rectè explicatam profitemur.

151 Sed non quemadmodum Vlpiani ſententiam adaperuit, ita naturam actionis ad exhibendum feliciter eſt aſſequutus, nam quatenus aſſerit, eam eſſe in rem, nullo pacto illi aſſentimur.

152 Aſſerunt quoq; DD. vno ore, à quibus nec Donellum excipio, eamdem actionem pro ſolis rebus mobilibus poſſe exerceri. Hanc quoq; ab omnibus probatā ſententiam nos explodentes, nouam tuebimur opinionem Præceptoris noſtri Excellentiſs. ex quo, validiſſimis vrgentibus rationibus, & auctoritatibus, poſſe tām pro immobilibus rebus, quām pro mobilibus promiſcuè intentari, ſuperiori anno didicimus.

153 Non leuis eſt controuerſia, an cum citatione ſit porrigendus libellus. Et quidem non eſſe porrigendum aſſerunt Noſtrates. Contraria tamen ſententia vindices habet, atq; aſſertores acerrimos Trāſalpinos Iuriſperitos; ſed eorum argumentis perpenſis, non amore communis regionis, ſed veritatis impulſi, in communem opinionem Noſtratum procliuiores ſumus.

154 Accuſatio de inſultu facto vulnerando non rectè duplex ſtatuitur communiter, cum potius vnica ſit, non quidem inſultus qualificati, vt ſic loquamur, à vulnere; ſed vulneris qualificati ab inſultu: quippè cùm inſultus ſit præparatorium vulneris tanquam principalis, & principale non qualificet præparatorium, ſed verius ab eo qualificetur.

155 Adhæremus communiori ſententiæ exiſtimantium, nomen actionis in libello non eſſe neceſſario exprimendum, ſed ſolam facti congruam narrationem ſufficere,

ficere, quod licet expresse cautum ciuili iure non sit, ratione tamen satis suadetur, & iuris canonici au-ctoritas suffragatur *cap. dilecti 6. de iudic.*

156 Si voluerit actor nomen actionis exprimere,& incongruum expresserit, sustineri adhuc libellum credimus, scilicet vt faueamus validitati actus,præsertim quoties de initio iudicij peragimus, quo tempore actor censetur reo fauorabilior *l. de die* 8. *in princ. ff. qui satisd. cog.*

157 Parte tacente sustinetur libellus obscurus, generalis, vel alternatiuus,imo & incertus,si etenim vlterius cõtendit aduersarius litem contestando, hoc est petitionibus respondens, videtur certior factus, nihil obstante vitio libelli, qui tamen finem suum sortitus est. sin autem aduersarius libello quidpiã opponat, aliud est dicendum, neq; enim potest, qui reus est, de re incognita deliberare.

158 Per libelli oblationem non inducitur lis, sed aduersarij contestatione opus est, à qua sicut lis inchoatur, ita quoq; iudicium, reiecta eorum sententia, qui à citatione incipere iudicium tradiderunt.

159 Licet contrarium communiter probetur, placet valde quod sentiunt quidam, ante litis contestationem indistincte licere libellum corrigere iuxta rationem decisionis, qua moti sunt Impp. *in princ. nostra l.3.* ideo enim dixere emendari,vel mutari posse libellum,quia editio actionis indicat litem futuram; igitur eatenus mutari poterit, quatenus lis adhuc non est,sed futura, idest contestanda speratur.

160 Neq; vero semel, vel bis credimus libellũ mutari posse ab actore, sed quoties eidem libuerit, dummodo ante litis contestationem fiat, siquidem re adhuc integra nullum ius quæsitum est parti,quare mutatio ad placitum actoris non videtur deneganda.

161 Neq; obstat Iustin. *l. vnic. C. de sent. quæ pro eo*,dum infinitatem vitandam docet, nulla enim in re nostra vitanda est infinitas,quę obesse possit,vt omittamus nec vllam posse contingere infinitatem, quod adeo pro competto habemus, vt absolute asserere semper ausi

simus, infinitum vllũ cathegorematicum, quod Physici appellant, siue secundum magnitudinẽ, siue multitudinem non solum naturaliter dari non posse, sed neq; supernaturaliter per quamlibet Dei potentiam, & quod magis est, non posse vllum infinitum cathegorematicè cognosci ab vllo intellectu, ac ideo neq; in mente Dei Opt. Max. dari infinitum cathegorematicum in esse cognito.

162 Quicquid sit de communiori sententia, tutius arbitramur, quod ait Fulgos. in petitione hæreditatis restrictæ ad certam rem, & singularem, idem iuris seruandum esse, atq; in petitione vniuersaliter proposita, eodemq; pacto res cæteras in ea compræhendi.

163 Cum itaq; in vniuersalibus iudicijs etiam restrictis ad rem singularem, nihilominus res omnes quoquo modo contineantur, non minus vanum videtur, emendationem fieri posse addendo quidpiam post litis cõtestationem, quam si fiat in vniuersalibus simpliciter, quod tamen admisit Accurs. Ad quid enim additio rei, quæ jam continetur?

164 Probamus communem DD. sententiam, quæ negat in actionibus singularibus licitam esse emẽdationem libelli post litem contestatam, & si recentiores non pauci excitata sententia Martini reclament, & ad sententiam vsq; emendandi facultatem admittant. Suffragantur nobis potissimum Impp. Seu. & Ant. *hac l. 3.* Illi vero auctoritate Iustin. nituntur *§. si minus Instit. de action.* quem nos locum ad propugnandam DD. opinionem noua, ac dilucida interpretatione enucleabimus.

165 Si libellus vitio obscuritatis laboret, & ob silentiũ aduersarij ipso iure sustineatur, licebit actori pro obtinenda sententia certa, declarare vsq; ad sententiam, quæ super libello obscuro ferenda non est; actor enim declarans nihil de nouo facit *l. hæredes palam 21. §. sed si quis ff. de testam.* & quemadmodum iudex potest ex officio declarationem petere post conclusionẽ in causa, ita etiam actoris declarationem recipere.

166 Li-

166 Libenter ijs subscribimus, qui statuunt, libellũ in causa criminali propter omissionem loci, & temporis patrati criminis fieri ipso iure nullum; constat enim, libellum accusationis, in quo prædicta omittuntur legitime non dici ordinatum *l. libellorum 3. §. quod si libelli ff. de accusat.*

167 Præterea ipso iure in causa ciuili libellus corruit, si causa incongrua inserta sit, cum enim incongrua causa nequeat petitionem sustinere, inutilis præsumitur petitio, nec calumnia vacans, ita vt iudex possit libellum lacerare.

168 Hinc commodè infertur, existente statuto, quod imponat gabellam pro libello quolibet, non fore gabellæ obnoxium libellum recensitis vitijs laborantem, tanquam nunquam in esse deductum.

169 Putant communiter, in iudicio ciuili descendente ex crimine, libellum exigere tanquam quid essentiale adiectionem diei, & loci; contrarium probabilius nobis videtur.

170 Quamquam regulariter verum sit non posse post litem contestatam addi quidquam rei petitæ, vt superius innuimus, aliud tamen statui debet in ijs rebus, quæ lite pendente accedunt *l. ædiles 25. §. itẽ sciendũ ff. de ædilit. edict. l. Atteius 14. §. vlt. cum l. seq. ff. de aqua plu. arc.*

171 Potest actoris hæres libellum declarare, quicquid vulgus sentiat, fit namq; hæres dominus instantiæ à defuncto inchoatæ, inde est, vt quemadmodum actor, si viueret, declarare posset, ita & hæres, & licet declaratio sequens retrotrahatur ad tempus primæ dispositionis, vt recte Soccin. *conf. 23. lib. 1.* non tamen restringitur ad illam præcise sententiam, cuius tempore libelli erat is, qui libellum proposuit: ideo, sicut ipse actor, ita hæres suo marte declarare eum valet, nec est, cur verisimilem defuncti sententiam conijciat.

172 Clausula inserta libello *saluo iure addendi, vel minuendi* nullam tribuit facultatem emendandi libellum post litem contestatam, hæc .n. non ab homine pendet, sed

à lege, quapropter merito nil proficit proteſtatio, vnde mater, quæ officio pietatis vſq; ad triennium tenetur alere filium, ſi proteſtata fuerit non animo donãdi illum educare, nihil idcirco agit.

173 Idem dicendum eſt de clauſula illa *peto centum plus minus* cum etiam hoc caſu poſsit fieri propter incertitudinem oppoſitio à parte, ob quam libellum corruere ſuperius diximus.

174 Priuata ſcriptura fidem facit contra ſcribentem, quod etiam ad ſcripturas manu adminiſtratoris exaratas recte extendi putamus, tametſi ſuas huic aſſertioni exceptiones pro circunſtantiarum varietate non denegemus, quas breuitatis ſtudio in præſentiarum vltro prætermittimus.

175 Proprius liber inter priuatas perſonas non probat pro ſcribente, quemadmodum nec liber rationum fidem facit pro tertio contra tertium, niſi à publica perſona conſcriptus ſit, puta argentario, vel notario.

176 Reum actori edere non teneri conſtat *l. 1. hoc tit.* ratio autem alibi affertur, quia nimis graue eſſet, partem aduerſam ad exhibitionem eorum vrgeri, quibus ſibi negotium fiat, cum id neq; iuris, neq; æquitatis ratio permittat *l. nimis graue 7. C. de teſtib. l. qui accuſare 4. hoc tit.* Quod tamen ita demum intelligi debet, quoties ex ſcriptura edita velit actor originem ſuæ petitionis fundare *l. vlt. hoc eod. tit.*

177 Fruſtra laborant DD. in expiſcãda diſcriminis ratione, cur reus non teneatur edere actori, teneatur tamen eius poſitionibus reſpondere. Mirum eſt, quàm miſerè nulla neceſsitate cogente diſtorqueantur, & nodum in ſcyrpo quærant. Hoc ideo diximus, quia poſitiones ab editione nil diſtare videntur, nam quibus caſibus tenetur reus reſpondere poſitionibus, iiſdem tenetur edere, & vice verſa; quapropter cum reus, vt modo firmauimus, edere nõ teneatur, quoties de origine petitionis actoris fundanda agitur, nec poſitionibus eo caſu reſpondere cogetur *l. cogi 11. C. de petit. hæred.* Et rurſus è conuerſo, cum tantum edere reus com-

compellatur, quoties agitur de coadiuuanda intentione, vel probanda eius replicatione, his quoq; duntaxat casibus positionibus respōdere necesse habebit.

178 Discedimus à recepta sententia, quæ habet, in editione argentariorum duo copulatiuè requiri, mādatum videlicet petentium, & quod eorum intersit, sustinebimus enim sufficere hoc postremum procedens ex quocumq; contractu, dummodo per eum rationem ad petentes attinere appareat.

179 Incongruum arbitramur cum Accurs. asserere, iustā causam cogendi reum vt edat esse, si semel edita ratio fuerit amissa; nāq; aut prima vice facta est editio coactè, & ex causa, & tunc eamdem causam rursus attendi sufficit, & non aliam ad geminandam editionem, aut facta est voluntariè, & amissio nō præbet causam, vt ab inuito iterum facienda sit editio, nullo enim iure quod ex liberalitate quandoq; actum est, iterum ex necessitate repetendum comperimus.

180 Nefas olim erat mulieri exercere argētariam etiā per seruum, ita cum quibusdam contra cōmune DD. placitum sentiendum, suadente potissimum I.C. *in l. fœmina 12. ff. eod.* quamuis eiusdem auctoritatē sibi opitulari DD. censeant.

181 Aduersus supra deductam regulam negatiuam, cogi fœneratores rationum suarum libros edere constat *ex Clement. 1. §. cæterum de vsur.* quod etiam in Iudæo fœneratore ex vi verborum eiusdem loci procedere deducimus, indirectè enim & Iudæi quodammodo excommunicantur, quatenus excommunicatio, quæ dirigitur in Christianos homines cum Iudæis fœneratoribus commercium habentes, Iudæos priuat Christianorum consortio.

182 Et licet DD. communiter eius loci dispositionem vigere existiment in publicanis, nautis, cauponibus, & stabularijs, nobis tamen longe magis arridet contraria sententia, à qua neminem credimus fore, qui discedat, dum tamen discrimen inter recensitas personas, & vsurarios optime perpendat.

183 Mer-

183 Mercatores nostri temporis exemplo argentariorum ad edendum compelli non posse sentimus, etenim si, quo tempore argentarij edere iubebantur, frequens erat mercatura, & mercatores *tot. tit. ff. de commerc. & mercat.* & liquet ex Platon. Cicer. & Plutarch. & tamē Pretor solos argentarios, & his similes, omissis mercatoribus, edicto complexus est; vtiq; satis deprahenditur de ijs non sensisse.

184 Editionem, quę fit ab Argentario, vel notario, quos DD. æquiparant, expediri officio iudicis nobili, non autē iure actionis, acutissimis Excellentiss. Præceptoris nostri rationibus, nobis compertum est.

185 Cur argentarius ad edendum non conueniatur actione mandati, vel alterius contractus cum eo initi, sed fuerit necesse Prætorem edixisse, & dedisse officium iudicis, omnibus ab alijs allatis rationibus posthabitis, ex eodem Præceptore nouam, cæterisq; probabiliorem afferemus.

186 Cum fiscus nullo perfruatur priuilegio nisi in casibus à iure expressis, non excluditur à regula negatiua, qua diximus, reum non teneri edere actori ad eius intentionem fundandam, neq; .n. vllibi in iure priuilegium extat, quo liqueat fisco actori edendū esse à reo; quinimo in dubijs causis pronunciandum esse contra fiscum docuit I.C. *in l. non puto* 10. *ff. de iur. fisc.*

Ex Interpretatione Rub. & l. Transigere 18. C. de Transact.

187 TRansactio, si nominis notionem inquiramus, recte dicitur quasi transitus actionis, vnde transigere dicitur, qui actionem transit, seu ab actione recedit. Et quidem transactionis nomen bifariam sumitur, generaliter, & specialiter; generaliter pro omni specie finiendi actum, & transcundi

ſeundi de vno in alium *l. 1. ff. de pact. l. transacta* 229. *ff. de verb. signif.* ſpecialiter vero, & magis proprie receſſum ſignificat, ſeu tranſitum ab actione per cōcordiam non gratuitam, & iuxta hanc ſignificationē hoc loci vſurpatur.

188 Definitur autem hunc in modum non incongrue: Tranſactio eſt de lite incerta finienda nō gratuita pactio, quare Azonis definitionem reijcimus tanquam ſuperfluā initio, mox autē aliqua ex parte diminutā.

189 Multiplex eſſe poteſt tranſactionis diuiſio iuxta varietatem materiæ, finis, & modi, alia enim pacto nudo fit, alia per Aquilianam ſtipulationem; rurſus alia cū pœnæ adiectione, alia ſine pœna, alia generalis, alia particularis; multæ quoq; alię tranſactionis diuiſiones afferri poſſent, ſed illas omnes numerare nō eſt opus.

190 Regula permiſsiua noſtræ legis, qua licita eſt tranſactio, vel pactio de criminibus publicis capitalibus, ideſt pœnam ſanguinis, nempe mortis ingerentibus, locum habet etiam in patre tranſigente pro filio accuſato, filius enim paternus ſanguis dicitur, quo fit, vt quemadmodum proprium ſanguinem redimere valet pater, ita etiam filij.

191 Præterea locum etiam obtinet in crimine læſę maieſtatis, quod capitale eſt, & vltimi ſupplicij, quamuis non pauci diſſentiant: namq; cum hoc delictum ob ſui immanitatem ſit inſigne, vtiq; ſi excipiendū fuiſſet, illud potius, quam adulterium fuiſſet exceptum.

192 Quicquid autem dicimus de crimine læſę maieſtatis, non ſolum de humana maieſtate intelligimus, verum etiam de diuina, ideo de crimine hæreſis poterit tranſigi, cum de iure ciuili vltimo ſupplicio plectatur.

193 Excipitur tamen expreſſè ab eadem regula crimen adulterij, cuius exceptionis latens ratio perpetuum laborem DD. noſtris indixiſſe videtur, vt neq; adhuc abſtinere poſsit eorum vllus ab inueſtiganda vera diſcriminis cauſa. At enim licet vnuſquiſq; fere noui aliquid prodere conatus ſit, nullus tamen (quod eorum pace dictū velimus) probabilitatis ſcopū attigit.

194 Pro-

194 Propterea omnium nos traditionibus omissis rationem illam interrogantibus suppeditabimus, quam à nostro Præceptore excogitatam cæteris probabiliorem ducimus.

195 Sed non minorem præbuit iurgandi occasionem altera exceptio à regula negatiua, qua in publicis criminibus pœnam sanguinis non ingerentibus transactio prohibetur, dum permittitur in crimine falsi. Cum autem dicamus permitti in crimine falsi, constat nos explodere eorum sententiam, qui particulam *citra* in textu nostro aliter exponunt, quàm præter, quod etiã Donello placuit asserenti in libris nostris dictionem *citra* nullibi significare *præter*. Et sane si de illis ll. quae vulgo afferri solent, locutus esset, placeret eius assertio, quæ tamen vniuersaliter prolata falsitatis merito redarguitur.

196 De ratione igitur differentiæ dicendum. Enim uero inter cæteras, quæ proponuntur, probabilis valde est, quam affert. Ant. Padill. quatenus, cum triplex pœna pro falso imponatur, hoc est deportationis, confiscationis, & quæ morti comparatur, infamiæ, optimum visum fuit decerni quicquid in delictis morte naturali punitis; nam licet huiusmodi singulæ pœnæ non sufficiant ad facultatem transigendi, prosunt tamen coniunctæ.

197 Licet hac l. nostra expresse à regula permissa fuerit exceptum duntaxat adulterij crimen, cum idcirco tamẽ non excludantur casus similes, eamdem exceptionem produci etiam ad raptum pro certo habemus.

198 Insuper & ad stuprum cum muliere honesta, quatenus scilicet stuprum propter vim, aut dolum crimen capitale est, & vltimum pro eo infligitur supplicium; viget enim vtrobiq; eadem ratio prohibitionis transactionis, quę consideranda est in adulterio.

199 Ex contraria ratione illi, qua conficitur regula permissiua, deciditur non esse licitam transactionem de publicis criminibus pœnam mortis naturalis non ingerentibus, quia in his nõ subest mortis naturalis timor,

quo

quo leges indulgeant volenti qualitercumq; redimere ſanguinem ſuum, proinde cum nequeat tranſigens iuſtum metum allegare, ex conſcientia patrati criminis præſumitur tranſigere, & eius turpitudo non debet illi ſuffragari.

200 Eamdemq; iuris diſpoſitionem quo ad publica crimina, extendi etiam ad priuata non ambigimus.

Ex Interpretatione Rub. & l. 1. ff. de Iudic.

201 IVdicium ex eo dictum putabat M. Varro, quod ius, ideſt poteſtatem dicendi, ac pronunciandi Prætori faciat, ſed ne in Grammaticorũ errorem iuxta *cap. forus* 10. *de verb. ſignif.* incidamus, qui iuriſdictionem cum iudicio confundunt, quam euidenter diſtingui conſtat, libentius dicimus iudicium eſſe dictũ quaſi iudicationem, ideſt ipſum iuriſdicundi actum, & in hoc à iuriſdictione differre, quæ videtur formaliter habitus, ſiue iuriſdicundi poteſtas, licet actum connotet.

202 Quamuis autem iudicium non ſola iudicatione, ac ſententia, ſed alijs multis partibus conſtet, quia tamen cæteræ omnes in ſententiam, tanquam ſuum finẽ collimant, totum hoc negocium à ſuo fine, veluti nobiliori meruit iudicium appellari.

203 Omiſsis varijs iudicij ſignificationibus, & ea ſola retenta, ſecũdum quam communi calculo eiuſdem traditur definitio, communem definitionem, vel aliam quamlibet reijcientes ſic putamus recte iudicium definiri poſſe, vt ſit legitima controuerſiæ apud iudicẽ tractatio, ac diiudicatio.

204 Cum numero multitudinis inſcribatur hic tit. non vnum, ſed multiplex iudicium eſſe indicatur; diuer-

sis itaq; respectibus multifariam diuidi iudicium posse credimus, prout ex quadripartita causarum serie vnanimes DD. faciunt.

205 Locus vero, vbi iudicia tractantur forum à Nostratibus appellatur, cuius etymologiã à fando, vel à Phoroneo primo Græcorum legislatore, ac Rege, nõ bene ducitur in *d. c. forus 10. de verb. signif.* melius enim forum dicitur, quia in foro, idest loco publico emporij, ac nundinarum lites exercebantur; Dicebatur autem locus ille ferũ à ferẽdis mercibus, vt Quintil. admonet.

206 Recte definitur forum competens Legitimus Tribunalis locus ad agendum, excipiendum, ac iudicandum destinatus.

207 Inter modos, quibus reus forum sortitur & ille numeratur, qui per fori prorogationem contingit. Est autem prorogatio fori, nostro quidem iudicio, iurisdicundi facultatis extra suos limites extensio legis auctoritate facta, aut permissa; qua sane definitione sicut definitionem tutelæ imitamur, ita ad instar tutelæ duplicem statuimus fori prorogationem, aliam hominis, legis aliam.

208 Quot vero, quibusq; modis vtraq; prorogationis species fieri soleat, longum esset recensere; sed vlterius progrediendum: Dicimus ergo, si pro ciuilibus causis hominis prorogationẽ iuxta l. nostram spectemus, prorogabilem esse iurisdictionem tam maiorum magistratuum, qui Tribunali præsunt, quam minorum, qui non præsunt, vt egregie Budæus, & Duaren. explicant.

209 Et hinc patet non prorogari forum pedaneorum iudicum, cum ipsi iurisdictionem non dicantur habere, sed notionẽ, & formulæ sibi à Iusdicentibus assignatæ addicti sint.

210 Idemq; dictum volumus de chartularijs, quorum habitualis, vt sic loquamur, iurisdictio prorogari nequit.

211 Sed nec delegatorum iurisdictio, dummodo ad vniuersitatem causarum non sit, prorogabilis est, si tamẽ prorogationem quo ad tempus excipiamus, & de hominis

minis prorogatione, prout in l. nostra, loquamur.

112 Per pactum extraiudiciale non prorogatur iurisdictio iudicis incompetentis, sed antequam ad illum eatur, est pœnitentiæ locus *l. si conuenerit 18. ff. de iurisd. omn. iud.* Nec deterremur implacabili ferè illa antinomia cũ *l. penul. C. de pact.* profitemur .n. vtriusq; loci sententiam commode explicari posse, & longe congruẽtius, quam à cæteris hactenus factum videamus.

113 Non licet clerico declinare sui Episcopi iurisdictionem, eam prorogando, quam iudex laicus habet, ne iniuria clericatui inferatur. Aliud tamen arbitramur, si forte clericus ageret de prorogãda iurisdictione alterius iudicis Ecclesiastici, accedente tamen iudicis proprij licentia, eaq; non tacita, sed expressa.

114 Minus licet de iure ciuili litigatoribus se ordinario iudici competenti subijcere tanquam arbitro in causis, quæ sunt eius iurisdictionis, & ratio quam affert Accurs. non est improbanda. Iure vero Pontificio licere palam est.

115 Ad exemplum prorogationis iurisdictionis iudicis, etiam arbitro tributa notio prorogari potest, ita vt non sit nouum compromissum.

116 In causis quoq; criminalibus locum habet fori prorogatio, siue de prorogatione hominis loquamur, siue legis. De hac constat, dum quis delinquens subijcitur iudici loci, in quo delictum admisit. De illa, si forte vltro se incompetentis iudicis iurisdictioni subijciat; prorogatio tamen huiusmodi non abdicatiue quo ad iudicem competentem, sed ampliatiue tantũ quo ad illum, in quem consensit, intelligi debet, potest .n. adhuc proprius, & competens iudex de eo crimine cognoscere.

117 Aliud tamen dicendum in clericis, qui sicut nequeũt iurisdictionem iudicis laici in ciuilibus prorogare, ita neq; in criminalibus, idq; non modo reclamante, sed neq; consentiente Diœcesano Episcopo *cap. si diligenti 12. de foro compet.* licet alioquin possint cum eius expresso consensu alterius Episcopi iurisdictioné pro-

rogare *cap. significasti* 18. *eod. tit. de for. comp.*

218 Si quis vero quærat cur Episcopus possit causas prophanas clericorum laico delegare, quod cum Gloss. & DD. *ad cap. 2. de iudic.* libenter admittimus, non item possit Episcopo consentiente à clericis prorogari iurisdictio laica, eam rationem assignamus, quia cum delegatus non vtatur iure suo, sed delegantis *l. 1. §. qui mandatam ff. de off. eius, & alibi* quicquid ipse facit, videtur ab Episcopo factum; atqui si prorogaretur per Episcopi consensum laica iurisdictio in clericos, tunc laicus nomine proprio exerceret iurisdictionem in illos, quod à iure Pontificio abhorret.

219 Vbicunq; iurisdictio per consensum partium prorogatur, ita indefinite accipi debet, vt etiã si tacitus interueniat consensus, prorogationem pariat, quæ tamẽ nunquam vim suam obtinet, nisi facta litis contestatione; fit autem per tacitum consensum prorogatio, tum facto proprio intercedente, tum sola taciturnitate in iudicio accipiendo à procuratore nostro nobis scientibus, & alijs modis; facilius .n. facto aliquo interposito iurisdictio prorogatur, quam verbo *l. si tamen* 48. *§. 1. ff. de ædilit. edict.*

220 Non propterea quis credat adeo vniuersaliter sufficere expressum, tacitumue consensũ, vt semper, & indistinctè obtineat, non sufficit .n. in specie *cap. statutum* 11. *§. in nullo de rescript. in 6.* Præterea neq; in consensu ficto resultante ex contumacia, nec quando quis consentiret per metum, & alijs nonnullis casibus, quos longum foret recensere.

Ex Iu-

Ex Interpretatione Rub. & l. 2. C. de Rescind. vendit.

221 PRima emendi,& vendendi origo teste Paulo *in l. 1. ff. de contrah. empt.* à rerum permutationibus cœpit, simul atq; maximo gentiũ applausu nummi reperti sũt, quibus lõge facilius humanis indigentijs succursum est, quam permutatione rerum. Nominis autem origo à græca voce est, quæ idem valet, quod meum facio, inuenta namq; est emptio, vt res alienas acquiramus, idcirco veteres emptionis nomine omnem acquisitionem, omnemq́; alienationem significabant *l. sicut 8. §. venditionis ff. quib. mod. pig. vel hypot. sol. l. statuliberi 29. in fin. ff. de statulib.*

222 Contractus emptionis, & venditionis rectè à quibusdam definitur Contractus iurisgentium nominatus, bonæ fidei, vltro, citroq; obligatorius, qui consensu super re, & precio perficiatur.

223 Varias admittit diuisiones. Prima est à causa formali, vt alia in scriptis, alia sine scriptis contrahatur *l. contractus 17. C. de fide instrum.* Rursus alia purè, alia non purè; purè vt statim valeat, non purè, alia in diem, alia sub conditione *l. Labeo 50. ff. de contrah. empt.* Item alia est venditio mera, alia mixta, & mixtam dicimus vbi res, aut factum loco precij adijcitur *l. pacta conuenta 72. ff. eod. tit. de contrah. empt. l. tenetur 6. §. si vendenda, & l. si sterilis 22. §. si tibi ff. de action. empt. Couarr. lib. 2. variar. resolut. cap. 4.*

224 A causa materiali alia est diuisio, quia emptio modo ad corpus, modo ad mensuram fit, cum scilicet à mẽsura cœptus sit contractus, tunc .n. mensuræ modus est seruandus; si vero à corpore initium sumpserit, tunc parum refert, an modus mensuræ maior sit, vel minor.

minor. Idem Couarr. *pract. quæst. cap. 3.*

225 Venditor vltra dimidiam veri pretij læsus agere potest vel vt sibi res vẽdita reddatur pretio restituto, vel pretium, quod deest, suppleatur, sic humanitate exposcente; ratio .n. quæ prohibet, ne quis cum aliena iactura locupletetur, suadet etiam emendandam esse iacturam immodicam venditoris, nec iniquum videri debet huiusmodi remedium, quo conscientiæ tranquillitati consulitur, iuxta quam nec minor læsio est tolerabilis, vt tradit D.Thom. 2.2. *quæst. 77. art. 1. & 2.* vbi tamen in foro exteriori tolerandam ait pro bono publico læsionem infrà dimidiam.

226 Succurritur autem venditori læso vltra dimidiã quãtitatem iusti pretij non per officium iudicis nobile, vt scripsere nonnulli, nec per condictionem ex lege, vt maluerunt alij, sed per actionem ex vendito, vt opinatus est Fulgos. eo potissimũ, quia cum natura actionis bonę fidei sit, vt ad ea etiam competat, quæ non fuerunt expresse conuenta, verumtamen ex bono, & æquo præstari deceat, consequens est, vt etiã emptionis, & venditionis contractus, qui bonæ fidei est, iuxta bonæ fidei naturam postulet æqualẽ inter contrahentes mensuram seruari, & inęqualia quæq; ad æqualitatem redigi.

227 Idem remedium eadem ratione æque concedendum esse emptori, ac venditori concessum fuerit, ex naturà correlatiuorum cum DD. libẽtissime admittimus, nil refragantibus argumentationibus Iacob. Cuiacij *lib. 16. Obseruat. cap. 18. & lib. 23. cap. 32. & alibi.* Ant. Fabri *de error. pragmat. decad. 8. error. 7.* & Iulij Pacij *ad hunc tit. n. 16. & in tractat. de empt. & vendit. cap. 13. n. 413.* quorum primus satis arguitur à Io. Robert. Aurel. *lib. 2. Animaduers. cap. 13. & alibi.* Secundus vero à Dominic. Arumæo *ad hanc l. them. 7.*

228 Et retenta communi sententia, à qua nemo credo hac in re recedet, qui veritate, non contradicendi studio impellatur, quæstionis est, an remedium legis nostræ competat emptori, qui emit 16. rem valentem 10. an

vero

vero opus sit emisse 21. vt ex antiquioribus voluerunt nonnulli. Vulgo quidem existimant DD. sufficere ad obtinendum remediũ, si emptor soluerit 16.; sed pessimè, & præter naturam veræ proportionis. Idcirco nos cum quibusdam recentioribus vulgare illud erratum extirpabimus, & vetustiorum verissimam sententiam excitantes, argumentis, ni fallimur, demonstratiuis nouissime excogitatis planam faciemus.

229 Producitur etiam huius nostræ legis beneficiũ ad cæteros bonæ fidei contractus, quamuis enim lex de solo venditore loquatur, non ambigimus ad causas similes ex paritate rationis extendi posse. Nec mouemur solemni argumento Ant. Fabri, quo cum assumat leges nouas veteris iuris correctorias ex identitate rationis extra suos fines non esse trahendas, facile eo adducitur, vt plus nimio intra suos fines Imperatorium remedium contineat.

230 Porrigendum insuper volumus ad contractus stricti iuris vltro citroq; obligatorios, licet magno ausu cõtrarium is conetur insinuare, qui dum pragmaticorũ errores acrius, quàm par est, insectatur (verba sunt docti viri) suos sæpe prodit *de error. pragm. decad. 8. err. 10.* Ita tamen ad eos contractus porrigendũ volumus, vt non detur ex eis actio ad hoc beneficiũ, sed confugiendum sit ad cõdictionem ex lege nostra, quæ datur, cum alia actio non suppetit, & sic dabitur cum electione, de qua Impp.

231 Hinc resecatur illa interpretum dubitatio, quid iuris, quando cõtractui emptionis accesserit stipulatio: existimamus sanè, formaliter dari remedium nostræ legis per actionem ex vẽdito æquè, ac si nulla stipulatio præcessisset, quæ non alterat naturam contractus bonæ fidei, nec eius actionem immutat, vt recte DD, *ad Rub. ff. de verb. oblig.*

232 Quæstionis est non inelegantis, An beneficium hoc porrigatur ad transactionem. Vtraq; sententia innumeros pene vindices obtinuit. Nos vero in rationum, & auctoritatum conflictu inclinamus in sententiã benignio-

nigniorem, & iuri magis congruam putamus eorum opinionem, qui beneficium hoc extendi concedunt, viget enim in transactione ratio bonæ fidei,& æquitatis, quæ in contractibus cæteris desideratur; licet nos non fugiat, propter dubitabilem litis euentum, quàm difficillimè in transactione suppetere probationes ad obtinendum.

233 Excluditur autem remedium hoc per iuramentum à maiore 25. annis præstitum super contractu, habet enim iuramentum vim specialis, imo geminati consensus in eodem actu adhibiti; beneficium vero huius legis amittitur per geminationem consensus, quia geminans præsumitur maxima cum animi deliberatione operari, & sponte velle læsioné pati; neq; enim præsumitur quis incaute iurare, sed omnia præmeditari, quæ promissioni obsistere possunt.

234 Quin etiam adhiberi nequit hoc remedium in cõtractu à minore 25. annis celebrato cum interpositione iuramenti, quod assertorium dici solet, quatenus minor contrahens affirmauerit se maiorem, quo casu non poterit deinceps allegare se minorem fuisse ad infringendum contractum ratione ætatis.

235 Idem iuris erit in iuramento simpliciter promissorio, nempe si iuratum fuerit super promissione, atq; obseruantia contractus *Auth. sacramenta puberum C. si aduers. vendit. ibi, inuiolabiliter custodiantur,* quomodo enim custodiuntur, si minor ex causa læsionis contractum rescindat? Et vero licet inuiolabiliter illud seruari putent DD. respectu ætatis minoris, hæc tamen interpretatio vim infert generalibus eius loci verbis; præterquamquod, cum non appareat cur iuramentũ adhibitum sit, indistinctè ad omnem viam cuicunq; rescissioni contractus occludẽdam censeri debet adhibitum.

236 Quare si specialiter sit iuratum puta super obseruantia contractus, ne contraueniatur ex causa minoris ætatis, aliud respondendum erit: nam licet per iuramẽtum hoc amittatur beneficium restitutionis in integrum,

tegrum, non tamen amittitur remedium huius legis si forte minor læsus fuerit vltra dimidiam.

237 Competit idem remedium contra emptorem, qui rē viliori pretio emptam alienauit, & tradidit, ita vt licet ille desierit possidere, perinde conueniri possit, ac si possideat.

238 Hinc deduci potest, non competere contra tertium possessorem, titulum emptionis, vel aliam quamcunq; causam habentem à primo emptore, quia cum agatur personali actione, non potest quis contra tertiū possessorem experiri, qui non contraxit.

239 Placet tamen assertionem nostram limitari, quoties secunda venditio eodem læsionis morbo laboret, quo prima, tunc .n. si primus emptor non sit soluendo, agi potest in subsidium contra secūdum ex æquitate, quoniam cum secundus emptor hoc casu lucrum sentiat, primus autem venditor damnum, suggerit æquitas, vt iactura, quæ non potest emendari agendo contra primum, subsidiaria actione contra secundum emēdetur.

240 Si sciuerit vēditor verum rei valorem, quem circa læsus est, putamus recte denegari illi legis nostræ beneficium; quid .n. sciens differre videtur ab eo, qui renunciat?

241 Existimamus tamen, si forte aliquo pacto probet emptor scientiam venditoris in læsione, is vero doceat, se vrgente necessitate vēdidisse, nec emptorem adinuenisse, qui pluris emerit, beneficium non esse denegandum.

242 Quid autem dicendum si in contractu apposita fuerit clausula illa, quæ in instrumentis apponi cōsueuit, *Et quod plus valet dedit, & donauit* impediturne huiusmodi beneficium? Et magis esse credimus, vt impediatur.

243 Quare multo magis credimus, quoties prægnantibus, ac geminatis verbis clausula concepta sit, puta *Omne id, quod pluris est, & totum quodcunq; erit, dono,* quamquam Atius Pinell. contrarium totis viribus insinuare conetur.

244 Ab eo tamen non dissentiremus quo casu, vt supra annuimus, liqueret, venditorem summa necessitate cōpulsum ad venditionem alium non comperijsse emptorem, carere .n. videtur donatio libera donandi voluntate, & ad exiguam summam posset redigi ex verisimili mente donantis.

245 Non inopportunè potest quæri, an id, quod donatum est vsq, ad limites iusti pretij, si forte excedat summã quingētorum solidorum, insinuatione indigeat *l. sancimus 34. C. de donat.* nec ne. Qua in re putamus affirmatiue respondendum, cum vera, & perfecta donatio ea clausula contineatur, licet principaliter venditionis contractus sit initus.

246 Quid autem hoc iudicio petatur, res vendita, an pretij supplementum, an potius vtrumq; alternatiue pluribus disputari solet; sed lōge tutiorem putamus sententiam eorum, qui supplementum peti tradiderunt, nec arbitramur contrarium astrui *in l. nostra* quæ primo de re recuperanda, mox vero de pretio supplendo meminit.

247 Recte statuunt DD. condemnatum ex vi huius legis non teneri refundere fructus perceptos, constitit .n. contractus ab initio, quamuis deinde ex aliqua causa sit rescissus.

248 Sed nunquid posit petere à venditore, vt rei defectū suppleat rem aliam dando? Respondendū non posse.

249 Quod vero diximus de fructibus non refundēdis obtinere cēsemus in quacunq; læsione etiam ea, quæ appellatur enormissima, quia licet adsit dolus præsumptus, tamen dicitur dolus incidens, non autem dolus dans causam, & infringens contractum; non ergo datur actio de dolo, sed actio ex contractu.

250 Nec distinguimus fructus à die traditionis, vel à die litis contestatę, sed nullos indistincte restituendos arbitramur.

Laus Deo, Virginiq; Matri.

Annuente Illustriß., & Reuerendiß. D. Hieronymo à Summaia almi Studij Pisarum Prouisore generali dignissimo.

Disputatio habebitur publicè Pisis in Schola Magna Sapientiæ die 4. Iunij 1620. Hora XI.

Argumentabuntur:

D. Don Ioannes Pacheco Hispanus Matritanus ViceRector Vniuersitatis Pisanæ substitutus.
D. Antonius Guio Sardus Alguerensis.
D. Rochus Romegiallius Pisanus.
D. Nicolaus Parrius Politianus.

Et amplius quisquis velit.



PISIS, Apud Ioannem Fontanum, M.DC.XX.
Superiorum permißu.